W. W. BLAKE,
OLD BOOK SPECIALIST,
16 De Septiembre 13
MEXICO CITY, MEX.

GAUDEO
John Carter Brown
Library
Brown University

1327

11355-1

METHODUS
CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI
HABITI
Romæ in Cœnobio Aracœlitano
PRÆSIDENTE
SANCTISSIMO PATRE
INNOCENTIO
DECIMOTERTIO
PONT. MAX.
Idibus Maji M. D. CC. XXIII.
Cum Ichnographia Aulæ Capitularis.

ROMÆ: Typis Antonii de Rubeis in Via Seminarii Romani.
IVXTA EIVS EXEMPLAR
MEXICI: Typis, & ſumptibus Joſephi Bernardi de Hogal, Apud Civitatis Palatium. M. D. CC. XXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

R.P.JCB

Benevolo Lectori.

CUM Sanctiſsimus DominusNoſter Papa INNOCENTIUS XIII. pro ſingulari ſua in prę-clariſsimum Ordinem Minorum S. FRANCISCI benevolentia, gravibus etiam ſuadentibus rationibus, Generalia ejus Comitia viginti duorum Annorum ſpatio intermiſſa, ultra Montes in Hiſpaniis cogenda, ad Urbem transferri curaſſet, atque mandaſſet, iiſque intereſſe, ac præeſſe ſtatuiſſet, ambigendi locus fuit, quam methodum in præviis ordinationibus adhibere congrueret, pro recta ejuſdem Capituli celebratione, quæque forma in ejus actus ſolemnitate ſervanda foret, quę Vicariam Chriſti majeſtatem

decceret;nàm quamvis ante plura Sæcula idem honoris Sacrę huic Familię contuliſſent nonnulli ex Romanis Pontificibus, nihilominus in diſponendo ſive opportunas ordinationes, ſive ritum pro celebratione hujuſmodi Capitularis Congreſſus, nullam, ne levem quidem, normam ſuppeditabant geſtorum Capitularium monumenta, vel Ordinis hiſtoriæ, quæ rem ſtrictim perſtringentes, ſolius Pontificiæ præſentiæ mentionem fecere; nec jam amplius ulla vigebat ritus hujuſmodi memoria, longævo plurium Sæculorum tempore obliterata. Opus igitur fuit concipere, formamque ex integro conſtituere, tùm eorum, quæ antecedere, cùm quæ comitari deberent eam Comitiorum ſolemnitatem, ſummo Pontifice præſidente, celebrandam. Quamobrem ne in poſterum documentum, & normam deſiderari contingat, qua ad perſpicuum exemplum expeditè res peragi poſsit, ſi aut aliàs idem Sanctiſsimus Pater INNOCENTIUS XIII. quem à DEO Optimo Maximo ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem diù ſoſpitem, incolumemque ſervatum iri confidimus, aut Succeſſores Summi Pontifices eodem ducti Zelo operæ pretium duxerint, hujuſmodi actibus præſidere; tùm etiam ut Lector voti compos fiat, ſi omnia, quæ in his Comitiis ſervata fuerunt, noſcendi deſiderio teneatur,

quod

quod vidimus, ritum ſcilicèt, formam, ac methodum pro celebratione, & convocatione horum Comitiorum, Sanctiſsimo Domino Noſtro præſidente, ſervatam, in hoc opuſculo deſcribere curavimus, præmiſsâ priùs notitiâ formæ gubernii adhibitæ in duorum ſuper viginti Annorum decurſu, quibus Generalia hæc Capitula celebrata non fuere; appoſitâ inſuper initio ejuſdem, ad exactiorem rei geſtæ ſpeciem exhibendam, Aulæ Capitularis Ichnographiâ. Vale.

Hanc al

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

JAM

IAM primus ſupra vigeſimum fluebat annus, ex quo totius Ordinis Minorum S. FRANCISCI Generalia Comitia (poſt Romana Anno 1700. celebrata) coacta non fuerant; etenim ea ultra montes juxta morem Ordinis apud Cœnobium Urbis Victoriæ Cantabriæ An. 1706. celebranda, ob bella, & diſsidia, quæ inter Principes per totam ferè Europam exarſerant, prudenti deliberatione f. m. Clemens XI. tunc Sedis Apoſtolicæ Moderator, pluries prorogavit; haud immeritò dubitans de felici Capituli ſucceſſu, ad quod convenire debebat ingens Vocalium numerus tot variarum Nationum, inter ſe contendentium; nunquam tamen Sapiens ille Pontifex mente revolvere, ac modum inquirere deſtitit, quo alicubi Capitulum illud cogeretur. Verùm illi hanc animi ſui ſententiam ad effectum perducendi, ſpes non affulſerat, donec Optimus Pontifex mortalem vitam cum immortali commutavit die 19. Martii An. 1721.

Poſt ejus obitum unanimi Electorum conſenſu, & ſummo Principum, totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ gaudio, Pontifex Ma-

ximus renunciatus fuit die octava ſubſequentis Maji MICHAEL ANGELUS CARDINALIS DE COMITIBUS ROMANUS, non minus geſtis pro Apoſtolica Sede muneribus, ſpectatiſſimarumque virtutum cumulo, eximiâ præſertim prudentiâ, præfulgens, quàm vetuſto generoſi Sanguinis ſplendore conſpicuus. Is ergo Pontifex inter alias graviſsimas curas, difficillimis, ac perturbatiſsimis iis temporibus, pro Eccleſiæ regimine opportunas, ſeriò animum appulit ad ineundum modum, quo Generalia Comitia pręfati Ordinis, tamdiù protracta, celebrarentur, mente revolvens rationum momenta, quibus ad id promovendum excitari omninò debuerat.

Perpendit enim Sapiens Pontifex, quàm diſtrictè præcipua Apoſtolici muneris ratio poſtulet, ut ad ea Paſtoralis cura incumbat, per quę Religioſorum piæ vitæ, divinique Numinis obſequiis, ſub Regularis Obſervantiæ norma vacantium, ſtatus ſalubriter dirigatur, rectoque eorum gubernio opportunè proſpiciatur; vigilantiæ partes efficacius in eos exhibendo, ut in Inſtitutorum ſuorum Regularium candore manuteneantur, ac eorum diſciplina nulla ex parte detrimentum patiatur, prò quibus aſſequendis, optimum eſſe præſidium Sa-

pienter ad vertit, ut Comitia, nedum Provincialia, ſed Generalia in quocumque Ordine convocari non omittantur; ſicut iiſdem rationibus ductus, convocationes haſce primò in Lateranenſi Conſilio præſcripſit doctrinâ inſignis, ejus Sanguine, & dignitate Præceſſor Innocentius III.

Illud etiam mente repetebat, non pro ſola electione Superiorum hæc ſaluberrima Capitula à Jure præfixa fuiſſe, ac ab omnibus Inſtitutoribus Ordinum injuncta, & à Sacroſancto Concilio Tridentino pluries inculcata; ſed potiſsimum ut per ea è clauſtris extirpentur ſpinæ, & tribuli vitiorum, ac Virtutum germina plantentur; iis cuſtodiantur Canonicæ Inſtitutiones, prava Ordinum in rectitudinem, & aſpera in vias planas, noxia evellendo, & plantando ſalubria, dirigantur; utque ita hæ Ordinum ſpectabiles familiæ, pervigili Comitiorum in unum coaleſcentium ſpiritu, Inſtitutorum in omnibus inhæreant veſtigiis. Rationes iſtæ, cunctis Ordinibus communes, efficaciùs urgebant in hoc Minorum Inſtituto, longè latèque in toto Orbe, ac inter tot diſsitas Nationes, etiam Infidelium, propagato, unam ſupra centum ac quinquaginta Provincias, & quinque Cuſtodias continente, ſub quo militant tot aliæ ſubalternæ, ut ita dicam, Religiones: Cùm ſub uno Mi-

niſtro Generali, & unico Generali Capitulo ſint Obſervantes, Reformati, Recollecti, Diſcalceati, & Tertii Ordinis, Hiſpaniæ, Galliæ, & Luſitanię, atque ideo Vocalium, & Fratrum numerus in eo longe ſit major, quàm in quocumque alio cæterorum Ordinum. Hujus etenim Religionis fundamentum ab ejus Inſtitutore D. FRANCISCO in arctiſsima paupertate jactum fuit, cujus proinde diligenti cuſtodiâ, quaſi muro quodam, ſalutaribus Conſtitutionibus ad eam accuratiſsimè ſervandam communita fuit; ut ſolo Deo contenta multiplici filiorum germine latiſsimè efflorеret: quo circa ſicubi viſus eſt ſpecialis ille paupertatis amor inter Alumnos ipſius intepeſcere, tùm Summi Pontifices, & Concilia Oecumenica Decretalibus, ac Canonibus; tùm Generalia ejuſdem Ordinis Comitia pluribus ſtatutis eum excitandum, & conſervandum curarunt, juxta Seraphici Inſtitutoris præceptum.

Hinc iſti Viri Religioſiſsimi, optimum ponentes in paupertate principium, totius ſufficientiæ aſſequuti ſunt complementum: atque ideo in conſpectu Eccleſiæ, Regumque, ac Principum, famâ, & meritis glorioſi redditi ſunt, & illuſtres. Aliquos tamen in quibuſdam Cœnobiis ſenſim intepeſcere, ac à pri-

ſtinis Inſtitutis diſcedere SS. Domino Noſtro ſignificabatur, eaque ipſi haud immeritò viſa fuit, inter cœteras, Capituli convocandi neceſſaria cauſa.

Acceſſerunt præterea plurium Sanguinis propinquitate, & dignitate Præceſſorum domeſtica exempla, qui hanc Religionem maximo amore, peculiarive patrocinio confoverunt. Etenim ſub Innocentio III. Inſtituti hujus jacta fuerunt fundamenta: Gregorius IX. & Alexander IV. adhuc in Cardinalium Ordine exiſtentes Protectoris munere Religionem hanc direxerunt; iidemque ad apicem Apoſtolatus aſſumpti, eximiis gratiis cumularunt, quarum una fuit, quòd Generalia ejuſdem Ordinis Comitia coram ſe haberi, iiſque præeſſe dignati ſunt.

Sanctiſsimus igitur Dominus noſter rationes, & exempla hujuſmodi animo contemplatus, divini cultus, & antedictæ Religionis boni promovendi, ſtudio flagrans, Capitulum totius Ordinis Minorum coram Se in Urbe convocandum, ſuâque ipſius præſidentiâ cohoneſtandum ſtatuit, ad ſubmovendas quaſcumque ambages, ob quas protracta fuerat celebratio, & ut omnino, ac celeriter ea eveniret, ac ſub oculis Summi Pontificis toti Ordini fructuoſior eſſet. Ita ſanè eventus conſilio reſ-

pon-

pondit, cùm celebratum fuerit Capitulum iſtud in Cœnobio Aracœlitano Urbis coram præfato Pontifice die 15. Maji pervigilio Pentecoſtes Anni currentis 1723.

Hujus convocationis, & celebrationis narrationem inſtituere, & evulgare ſuſcepi, ut in occurrentibus caſibus Pontificiæ convocationis, & aſsiſtentiæ in hiſce Capitulis, ejus actionis, exemplar reperiatur. Sed cenſui præmittendum, quis ſtatus fuerit, quæque ratio regiminis in ipſo Ordine tot annorum intervallo, quamdiù intermiſſa ſunt ejus Comitia; deinde qualiter hæc indicta ſint, quæque celebrationem præceſſerint; ut demum his prænotatis, celebrationis ipſius actum deſcribendum aggrediar.

Comitia Generalia Ordinis Minorum quolibet triennio, juxta eorum Statuta, celebranda, per Apoſtolicas Conſtitutiones ad ſexennium rationabilibus cauſis protracta fuerunt: eâ tamen lege ſervatâ, ut alternatim celebrarentur in aliquo ex Cœnobiis, unâ quidem vice ultra Montes, aliâ verò citra Montes, atque eâdem alternativâ contineretur electio Miniſtri Generalis, qui in Comitiis Ciſmontanis aſſumendus eſſet ex Tranſmontana famillia, & è contra in Tranſmontanis ex Ciſmontana. Eligitur quoque in eodem Capitulo Commiſſarius Generalis ex fa-

milia

milia Ciſmontana, ſi Miniſter Generalis ſit ex Tranſmontana, parique modo ex familia Tranſmontana, dum Miniſter Generalis aſſumitur ex Ciſmontana. Idem porrò Commiſſarius per Vocales propriæ familiæ eligitur, cui etiam præeſt, ſub univerſali tamen poteſtate Miniſtri Generalis, duratque ejus munus per triennium, poſt quod ſubrogatur alter ejuſdem familiæ per Definitorium Generale, præſidente Miniſtro Generali, ad aliud triennium. Procurator etiam Generalis totius Ordinis in eodem Capitulo deligitur, & is in Curia Romana reſidet pro negotiis Religionis, qui aſſumi debet ex eadem, qua aſſumptus fuit familia Miniſter Generalis, & ejuſdem familiæ ſuffragiis. Eligitur pariter in Capitulo à propriæ familiæ vocalibus Generalis alter Commiſſarius Curiæ nuncupatus, qui ad inſtar Procuratoris Generalis reſidens in Urbe, propriæ familiæ, ex qua non ſit Miniſter Generalis, negotia promovet.

Præter hos in eodem Capitulo, alterum Procuratorem Generalem eligere debet, vocalium ſuorum ſuffragiis, familia Reformatorum: & Anno 1702. facultate conceſſâ per præfatum Clementem XI. alium Procuratorem Generalem deligere in Capitulo generali pro familia Recollectorum, ac Diſcalceatorum præſcriptum fuit, iis legibus ſervatis, quæ injunctæ ſunt per ſtatuta,

& Apoſtolica decreta, tàm quoad modum electionis, quàm quoad perſonas eligendas, eorumque Nationes alternandas.

In Capitulo Romano celebrato Anno Jubilæi 1700. Summo Pontifice Innocentio XII. renunciatus fuit Miniſter Generalis P. Ludovicus de Turre Ultramontanus, cadente tunc alternationis vice in familiam Tranſmontanam: & Commiſſarius Generalis, ex familia Ciſmontana P. Cherubinus à nardò Reformatorum: itemque juxta methodum ſuperius indicatam, electi fuere Procurator Generalis totius Ordinis Hiſpanus ex familia Ultramontana, Commiſſarius Generalis Curiæ ex Ciſmontana, & Procurator Generalis Reformatorum, cùm tunc ille pro Recollectis, ac Diſcalceatis adhuc non fuerit inſtitutus.

Obiit intra ſexennium, Anno nempe 1702. Miniſter Generalis de Turre, & P. Ildephonſus Bieſma Hiſpanus, ex eadem familia Tranſmontana à Fratribus, juxta formam Conſtitutionum, Vicarius Generalis deſignatus, fuit ad miniſterium generale aſſumptus à laudato Clemente XI. per literas Apoſtolicas in forma Brevis, expeditas ſub eodem Anno 1702. Is porrò, Generali Capitulo, ob eas quas retulimus cauſas, intermiſſo, ac prorogato, Religionem ſibi auctoritate Apoſtolica traditam rexit uſque ad annum 1716. quo

vitam

vitam cum morte commutavit: cui muneri ſubrogavit idem Clemens XI. ſimilibus Apoſtolicis literis, Patrem Joſephum Garciam Hiſpanum, per Religionem Vicarium Generalem Ordinis deſignatum. Aliis hujuſmodi literis Apoſtolicis idem Summus Pontifex Commiſſarium Generalem pro familia Ciſmontana, Procuratorem Ordinis, Commiſſarium Generalem Curiæ, Procuratores Generales Reformatorum, necnon Recollectorum, & Diſcalceatorum conſtituit, & poſt aliquod tempus pro iiſdem officiis alios Fratres ſubrogavit; ut etiam noviſsimè anno 1721. Sanctiſsimus Dominus Noſter INNOCENTIUS XIII. paucis menſibus â ſuſcepto Pontificatu, ad hæc quæ diximus munera, per ſuum Breve alios Fratres deſignavit, qui in iiſdem uſque ad Capitulum Generale permanſere.

Per eam verò occaſionem, qua Clemens XI. illa munera ſuâ Apoſtolicâ auctoritate conferenda, decreverat, incidit controverſia inter Fratres Obſervantes, & Reformatos in electione Commiſſarii Generalis Ciſmontani. Præbebat anſam diſputationi vigens ius alternativæ per Summos Pontifices conceſſæ, ex cujus juris formula, occurrente ad ſexennium in familia Ciſmontana, Commiſſarii Generalis electione, pro primo triennio familiæ Reformatorum alumnus ad illud

mu-

munus aſſumi debebat, & pro poſteriori triennio ex Obſervantibus: cùmque triennium ſuum abſolviſſet ſodalis Obſervantium eo ipſo anno 1703. contendebant Reformati ex ipſorum familia aſſumendum eſſe Commiſſarium Generalem, ut ejus, quam ſupra diximus, alternationis ratio ſervaretur. Verùm laudatus Pontifex Clemens, audito voto Congregationis particularis S. R. E. Cardinalium, ſtatuit, conſtituendos eſſe, prout duos Vice-Commiſſarios Generales, unum ex Obſervantibus, ex Reformatis alterum; ut quiſque ſuas reſpectivè familias moderaretur, ſicque ſervatum fuit in ſucceſsivis Apoſtolicis proviſionibus dicti muneris uſque ad Capitulum Generale.

Hac ratione ampliſsimus iſte Ordo Minorum regebatur, donec prælaudatus Pontifex INNOCENTIUS ex rationibus ſupra relatis apud Se primò ſtatuit Capituli Generalis celebrationem in Urbe, atque animi magnitudine, ac prudentiâ iis, quæ negotium, & difficultatem ingerebant, feliciter complanatis, tum flagranti Zelo operi manum admovit. Itaque derogans pro ea vice ordinationibus Præceſſorum ſuorum, & Ordinis ſtatutis, quæ innuimus, de alternando loco Capituli Generalis, decrevit, ut quod juxta eam alternativam ultra montes apud Civitatem Victoriæ in Cantabria, per Religionem denuncia-

tum

tum fuerat, in Urbe coram ſe Præſide celebraretur; Idque indicandum duxit PHILIPPO Hiſpaniarum Regi, in cujus ditione generale Capitulum celebrari debebat juxta alternativam præfatam, quod ſummopere gratum Catholico, & pio Regi obvenit. Mox Pontifex etiam expediri juſsit literas Apoſtolicas in forma Brevis pro ejuſdem Capituli indictione, & convocatione in Cœnobio Aracœlitano Urbis, quarum literarum tenorem ſubjicio.

INNOCENTIUS PAPA XIII. *Dilectis Filiis Miniſtro Generali, Vice-Commiſſariis Generalibus, Provincialibus, Cuſtodibus, aliiſque Fratribus totius Ordinis Minorum tàm de Obſervantia, quàm Reformatorum, Excalceatorum, Recollectorum, ſeu quocumque alio nomine nuncupatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Religioſos Ordines, quos tanquam fertilia Agri Dominici plantaria, circumſpecta Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum providentia inſtituit, in viſceribus paternæ gerentes charitatis, Ordinem veſtrum, Viris ſanctitate, pietate, religione, ſacrarum, eiſque ancillantium bonarum literarum ſcientiâ, ac propriæ, alienæque ſalutis ſtudio eximiè præditis fulgentem, ſingularibuſque in hanc Sanctam Sedem meritis conſpicuum, peculiari Apoſtolicæ dilectionis affectu complectimur, ac proindè illius ſalubri regimini, & religioſæ tranquillitati libenter proſpicimus, atque opportunæ proviſionis remedium, ubi illud exigere dignoſcitur, adhibemus, ſicut omnibus maturè conſideratis æquitati, ac rationi conſentaneum eſſe in Domino arbitramur. Cùm itaque, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis veſtri, quod juxtà illius Conſtitutiones, ſeu Statuta auctoritate Apoſtolica confirmata, ſingulis ſexenniis, ultrà, & ſubinde citrà Montes alternis vicibus celebrari debet, propter ſatis notas temporum calamitates, & difficultates, aliiſque juſtis de cauſis,

fel.

fel. record. Clementi PP. XI. Prædeceſſori noſtro probè perſpectis, viginti duobus ferè ab hinc annis congregari nequiverit. Nos multiplicibus incommodis, quæ univerſo Ordini veſtro non ſine Regularis diſciplinæ detrimento, contingere poſſent, ſi ejuſdem Capituli celebratio diutiùs protraheretur, occurrere cupientes, ac rec. mem. Gregorii IX. & Alexandri IV. Romanorum Pontificum de Sanguine, & Familia noſtra pariter Prædeceſſorum noſtrorum, qui Capitulo Generali per ſe ipſos olim præſidentes, collapſa in Ordine veſtro reintegrarunt, feliceſque illius progreſſus non mediocriter juverunt, veſtigiis inſiſtentes, coram Nobis Capitulum Generale hujuſmodi convocandum duximus, ut quæ ad rectum Ordinis veſtri prædicti regimen, decus, & utilitatem pertinent, propriùs cognoſcere, iiſque faciliùs atque validiùs conſulere poſsimus. Quo circa motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, memoratæ alternativæ pro hac vice tantùm derogantes, Capitulum Generale totius Ordinis Fratrum Minorum tàm de Obſervantia, quàm Reformatorum, Excalceatorum, Recollectorum, aliove quocumque nomine nuncupatorum in alma Urbe noſtra, & Conventu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli coram Nobis in Vigilia Feſti Pentecoſtes anni proximè venturi MDCCXXIII. juxta morem ejuſdem Ordinis celebrandum tenore præſentium indicimus, & convocamus, indictumque, & convo-

catum

catum denunciamus; Vobiſque propterea Generali Miniſtro, Vice-Commiſſariis Generalibus, Provincialibus, aliiſque Fratribus quomodolibet nuncupatis, qui juxtà morem, & Conſtitutiones veſtri Ordinis in Capitulo Generali jus ferendi votum, ſive ſuffragium habetis, eique intervenire tenemini, virtute Sanctæ Obedientiæ, atque ſub pœnis in Conſtitutionibus veſtris contentis, aliiſque Nobis beneviſis, mandamus, quatenus ad ipſum Capitulum, legitimo ceſſante impedimento, opportuno tempore accedere curetis, & die Sabbati poſt Feſtum Aſcenſionis Domini noſtri ejuſdem Anni proximè futuri, quo Capitularia acta inchoabuntur, & non antea Conventum Capitularem ingrediamini, exceptis Fratribus Definitiorii Generalis, quibus aliquot ante diebus ingredi liceat. Ut autem confuſioni, quæ ex Fratrum multitudine oriri poteſt, occurramus, Statutis Generalibus Ordinis veſtri adhærentes, ſub pœna privationis ſuffragii præcipimus, quòd Miniſter, ſeu Pro-Miniſter, & Cuſtos uniuſcujuſque Provinciæ ſimul ad Capitulum Generale iter faciant, cum unico tantùm Socio Religioſo pro utroque, & ſi expenſæ aliquæ in itinere ex neceſſitate faciendæ ſint, adducant ſecum Tertiarium, qui vices Syndici Apoſtolici gerat, & ipſius nomine expenſas prædictas inevitabiles faciat; ſupradictoſque omnes hortamur in Domino, ut in itinere euntes, & redeuntes graviter, modeſtè, religioſè, ac decenter incedant, non litigent, neque conten-

dant

dant verbis, ſed ſint mites, pacifici, manſueti, & humiles, ſicut decet Servos Dei, & Inſtitutum Evangelicum, quod profitentur, maximè poſtulat. Præter verò prædictos, & illos quibus literariis exercitiis, & concionibus peragendis à Miniſtro Generali fuerit conceſſa licentia ſpecialis, nemo prorſus ad hæc Comitia venire audeat ſub pœna Apoſtaſiæ, eo ipſo incurrenda, quam etiam indicimus Vocalibus ipſis, qui curioſitatis, aut negotiorum causâ à via recta ad Capitularem Conventum præfatum notabilitèr deflectent. Nihil interim in Provinciis juxtà Ordinis Statuta prorſus innovetur, donec ad propria Miniſtri, & Cuſtodes reverſi fuerint, ſi ſecus fiat, id nullius valoris, aut momenti habeatur. Provinciarum Cuſtodes, ut ſui muneris debito reſpondeant, juxta antiquam Fratrum veſtrorum, laudabilemque conſuetudinem, nec non Ordinis Statuta, Conventuum tàm Fratrum, quàm Monialium nomina eorundem viventium, & à poſtremo Generali Capitulo defunctorum numerum, præcisè, qui ſpecialis exemplaritatis notâ vitam cum ſigno ſanctitatis vel ducunt, vel clauſerunt; item nomina, & qualitates Fratrum inter Infideles, vel ad ſervitium Terræ Sanctæ actu degentium, aut eò tranſire cupientium; operum, quæ vel nuper impreſſa fuere, vel Typis committenda parantur; notabilium quorumcumque laudabili memoria dignorum, quæ à noviſsimo Capitulo Generali in propria uniuſcuiuſque Provincia poſt

exactam adhibitam diligentiam, accidiſſe compertum fuerit, ac tandem cæterorum omnium, quæ de jure, ac conſuetudine ad Capitula Generalia deferri ſolent, fidele teſtimonium, authenticamque fidem ſecum habere meminerint. Similiter ſub pœna privationis officii, omnibus qui computa eleemoſynarum juxtà Conſtitutiones reddere debent, injungimus, ut eadem computa, & fidelis hujuſmodi eleemoſynarum adminiſtrationis documenta ad ſtatutorum præſcriptum per eoſdem Cuſtodes reſpectivè tranſmittant. In reliquis verò omnibus ad Generale Capitulum quomodocumque pertinentibus, quæ his Literis non ſunt expreſſa, Generales Ordinis Conſtitutiones omninò ſervari volumus. Demum præſentibus noſtris Literis publicatis, ſicut, prout moris eſt, fieri mandamus, preces ſine intermiſſione Deo Optimo Maximo offerantur pro felici hujus Generalis Capituli ſucceſſu, ut miſericors, & miſerator Dominus proſperum omnium agendorum eventum concedere dignetur. Quapropter à Paſchate Reſurrectionis Domini ejuſdem anni, uſque ad diem feſtum Pentecoſtes, quintâ feriâ cujuſlibet hebdomadæ ſolemni feſto non impedita, in ſingulis Conventibus Miſſa de Spiritu Sancto decantetur, & à cunctis Sacerdotibus in Miſſis privatis de eodem Collecta recitetur; in Choro autem, poſt Matutinas, & Veſpertinas Horas, ac Miſſam Conventualem quotidiè recitetur pariter Hymnus Veni Creator Spiritus *cum Antiphonis, & Orationibus de Spiritu* San-

Sanĉto, de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac de Sanĉto Franciſco. Ab Aſcenſione inſuper Domini ſolemnes ſupplicationes, ſeu Proceſsiones per Eccleſias, & Clauſtra, Litanias Sanĉtorum decantando, agantur. In ipſa autem Vigilia Pentecoſtes omnes peccata ſua confiteantur, Sacerdotes Miſſas celebrent, alii Sanĉtiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum valdè manè recipiant, quibus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem pro ea vice miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur, eademque pariter die Sacrum ſolemniter de Spiritu Sanĉto, & Proceſsio, ut ſupra, fiant, omneſque ad Dominum humilitèr recurrant, ipſum deprecantes, ut quæ agenda ſunt, ad ſui laudem, & honorem, veſtræ Religionis incrementum, Animarum ſalutem, totiuſque Eccleſiæ militantis utilitatem, præveniendo inſpiret, & adjuvando proſequatur. Decernentes præſentes Literas etiam ex eo, quod quicunque in præmiſsis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, vel auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis quantumlibet ſubſtantiali defeĉtu notari, redargui, & impugnari, vel adverſus eas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, faĉti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu impetrato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti poſſe;

ſicque,

ſicque, & non aliter in præmiſsis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis Ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & Fratribus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus, efficaciſsimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſsis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut

aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum quia difficile foret, præſentes noſtras Literas ad ſingulas Provincias deferri, volumus, ut earum exemplis in Romana Curia auctoritate noſtra impreſſis manua alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Martii MDCCXXII. Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Hujuſmodi Apoſtolicæ literæ fuerunt juxta morem publicatæ in Urbe, & per Cardinalem Corſini apud S. Sedem ejuſdem Ordinis Protectorem, qui hujus negotii expeditionem ſummoperè promovit, ad præfatum Miniſtrum Generalem Joſephum Garciam Hiſpanum, in Hiſ-

paniis degentem, tranſmiſſæ fuerunt; ut earum exemplar ad Provincias totius Ordinis pervenire curaret. Ad eundem Miniſtrum Generalem literas peculiares per Cardinalem S. Agnetis, Sanctitatis Suæ à ſecretis Status, Summus Pontifex itidem dari juſſerat, quæ paternam ſolicitudinem, ac dilectionem erga præclariſsimam Religionem præſeferentes eidem indicarent præſtitutam Capituli Generalis convocationem, ut Miniſter ipſe Generalis, cum Vocalibus tempore præfinito ad Urbem conveniret, omniaque ad id opportuna ritè diſponeret.

His literis tranſmiſsis, reſpondit Miniſter Generalis filiali obſequio, ſe ſuoſque libentiſsimè obtemperaturos, longum iter arripiendò, ut debitæ obedientiæ monumentum exhiberent, atque hoc maximum benevolentiæ argumentum recipere digni evaderent, Capituli Præſidem Sanctitatem Suam ſuſpiciendo. Statimque literas ſuas dedit Fratribus Ordinis per univerſum Orbem promulgandas, inſerto in iis Brevis tenore, quarum literarum exemplar hìc adjungendum curavi.

FRATER JOSEPH GARCIA, *totius Ordinis S. P. N.* FRANCISCI *Miniſter Generalis, & Servus; Univerſis in Chriſto Jeſu dilectiſsimis Patribus, ac Fratribus in eodem Ordine Deo famulan-*

lantibus, tàm Prælatis, quàm Subditis ſalutem, & pacem in Domino ſempiternam.

Exultate Deo adjutori noſtro, dilectiſsimi Fratres, qui poſtquam probavit nos ad aquam contradictionis, diùque nec diem, nec locum dici Generalibus noſtris Comitiis paſſus eſt, amplo demùm cum fœnore miſericordiam ſuam adhibuit rebus noſtris; non enim utcumque dedit agere nos Conventum tot annis deſideratum, verùm diſpoſuit in hanc noſtram Solemnitatem adeo inſignem diem, ut non modò albo (uti ajunt) Lapillo, à nobis in menſibus anni ſignandus ſit, ſed monumentis etiam marmorum ſolidiorum in æternitates perpetuas referendus; quippe Summi Pontificis feliciter nunc regnantis, INNOCENTIJ XIII. *præſentiâ, & clementiâ pleniſsimè illuſtrandus. Excelſa igitur* COMITUM STIRPS, *memor in hoc* INNOCENTIO *Congregationis noſtræ, ac ſuæ, quam ipſamet poſuit ab initio, dum per* INNOCENTIUM *alterum eam fundavit, & approbavit, non feciſſet ſatis charitati ſuæ, atque indoli erga Inſtitutum noſtrum, ſi per nobiliſsimi ſui Stemmatis Aquilam, alas in ſpeciem agitantem, nos Pullos ſuos, viſcatis quodammodò hærentes pennis, dumtaxat ad efferendum volatum iſtum, impulſu provido & ſtrenuo provocaſſet; niſi & addidiſſet, materno revera inſtinctu, illam memoriâ temporum dignam ſedulitatem, ut nempe indiceret ſimul ipſum ad nidum ſuum, in vertice poſitum montium Romano-*

rum, quò, ſi neceſsitas ferret, magis præſens, & poſſens adeſſet ad confovendum; utque illum non alteri fideret, ſed duceret, atque dirigeret per ſe ipſam, quò ſcilicet tutiùs poſſet volitantium Cuneus eò inflecti per providentiam ſuam, ubi juventus Ordinis noſtri, per eandem amanter nobis addictam, ut Aquilæ renovetur. Proinde nos, æquiori jam animo reſpicientes præteritas noſtras calamitates, utpote per felicitatem iſtam eximiam excipiendas demùm, & procurandas, fatemur ingenuè vobis omnibus, quòd jam pro annis, quibus vidimus mala, lætati ſumus, quòdve portendentia exitium Monſtra in maximum bonum, ut rogabamus, converſa ſint: ſimulque connicientes, parem hilaritatis, & ſpei ſenſum vobis ſimiliter futurum eſſe, ſi certiores efficiamini, quo ſublimi progreſſu Beatiſsimus Pater impenderit nobis Clementiam ſuam; intimare aggredimur quæ primùm ad nos privatè dedit, pro ſua in caput veſtrum paternâ benignitate, quæque ſubinde etiam ad omnes vos diplomate publico emanavit. Itaque per Eminentiſsimum Dominum Cardinalem à negotiis Status ſuum primarium Adminiſtrum placuit renunciari Nobis, quam dignaretur præferre in Sodalitium noſtrum egregiam voluntatem, hujuſque ſeriem Epiſtolæ noſtris præcipuis Faſtibus inſerendæ, ideo faciendam cenſuimus juris veſtri, ut ſicuti nobis veſtrum intuitu, atque adeo, nobis ſequeſtribus, ea vobis cum primis conceſſa eſt, ita nobiſcum ad gratiam Eidem apud Deum, &

Homi-

Homines habendam perpetuò, & referendam, non ultimi coëatis.

Epiſtola igitur, ſuis verbis, hæc eſt-- Reverendiſſime Pater. Comitia creandis Supremis veſtris Magiſtratibus, temporum aſperitate, jamdiù intermiſſa, ubi primùm Sanctiſsimus Pater Apoſtolicam Dignitatem eſt conſequutus, in animo habuit revocare. Urgebat illum paterna pietas ſollicita, ne cùm tot annos conferre inter vos de rebus veſtris conſilia non potuiſſetis, aliquid ab optimis Inſtitutis alienum inter Sodales veſtros non irrepſiſſet. Admonebant domeſtica exempla; quippe non unum è tot Majoribus ſuis ad Romanam Sedem evectis hùc operam dediſſe non ignorabat. Illiciebat quoque perpetuum, vetuſtiſsimumque ſuæ Gentis erga vos ſtudium, quod in ſe derivatum, maximâque benevolentiâ cultum, aliquo ſuo beneficio illuſtrare, ac palam facere percupiebat. Itaque rem difficilem, impeditamque aggreſſus, pro ſua ſingulari ſapientia, feliciter expedivit, ſtatuitque in Ara-Cœli veſtrum Romæ Conventum agere, agendoque proximi inſequentis anni MDCCXXIII. diem Sabbati ante Pentecoſtes edicere, ut ſub ejus oculis graviſsimum iſtud negotium conficientes, promptiùs, accuratiùſque explicetis, ſibi verò luculentiùs pateat veſtra in eo gerendo ſedulitas, ac vigilantia. Hæc Reverendiſsimæ Paternitati tuæ Sanctiſsimus Pater meis literis renuntiari voluit, Teque omnium primum, nec alio quàm ſe internuntio, (quæ ſua in Te humanitas

eſt) de hac ſua voluntate certiorem fieri. Mox Sanctitatis Suæ literæ ſubſequentur, quibus ſolemnis Comitiorum indictio fiat, ijſque omnibus, quibus ad ea conveniendi jus eſt, publica, & in aperto ſit. Interim de Romano itinere cogitato, ſupplicationeſque ad bene rem peragendam, & facito ipſe, & reliquis tuis indicito. Mihi, nec hujus, nec cujuſcunque veſtræ utilitatis deſiderium deeſt; aderunt etiam opera, officiaque, ſi quò ea conferenda ſint, monitum reddas. Romæ 21. Martij 1722. Reverendiſſimæ Paternitatis tuæ; Ad officia paratiſſimus. G. Cardinalis Sanctæ Agnetis--Quoniam autem ſupervacaneum eſſet, aut librare preſsiùs, quod Epiſtola iſta tanto cum pondere expreſſum eſt, aut digerere intimiùs, quod non feliciùs eadem exprimi potuiſſet; ſupereſt demum, ut alias vobis Apoſtolicas literas denuntiemus, quibus per jam recitatas videtur Sanctitas Sua proludere voluiſſe, quaſve Eminētiſſimus D. Cardinalis Protector Ordinis noſtri ad Nos tranſmiſit, adjiciens illud ex ſingulari ſua humanitate, ut ex Ipſo nimirum eas in notitiam veſtram, Encyclicis noſtris de more deduceremus: ſcilicet, ne quid huic noſtræ futuræ Celebritati deeſſet, ad eam ſplendidiùs augendam, & numeris omnibus adornandam.

Porrò hæ literæ, per Illuſtriſſimum D. D. Alexandrum Aldobrandini Nuntium Apoſtolicum exæquantem ſanctiſſimè, & humaniſſimè Tituli ſui rem, nobis immanuatæ tenoris ſequentis ſunt, indictionem noſtrorum

Comi-

Comitiorum affatim complectentis.

Omittitur tenor Apoſtolici Brevis ſupra relati.

Hæc ubi exceperitis, dilectiſsimi Fratres, ſi per lætitiam vacat, ut nobis ulteriùs attendatis, expendite quale demum in gaudium triſtitia veſtra converſa ſit, utque hoc magis adhuc ſit plenum, exitum providete, in quem initia iſta ſpem omnium noſtrum erigere nata ſunt; talem enim, ac tantum concipimus, quin ſubſit metus, ne forſitan præfidamus, ut vel expectationem noſtram longo intervallo prætergreſſurus ſit, & communem noſtram utilitatem ad faſtigium, & ſummum, & ſtabile provecturus. Noſtrarum enim quòd attinet Nationum mutuum fœdus, perpetuumque, quod aliqui, falſa imaginatione decepti, ſuſpicari voluerant labefactatum; profecto, ſi aliquomodò noſtrum Corpus iſte Spiritus vitæ deſtituiſſet, non aptiùs ita reduci poterat, ut oſſa iterum oſsibus jungerentur, & priſtinam unumquodque repeteret compagem ſuam, quàm apud illum Lapidem angularem, Vicarium Chriſti, qui adeo utraque unum facere datus eſt, ut centrum & unicum, & indiſſolubile ſit, etiam Catholicæ Unitatis. In reliquis, operoſiſsimum eſſet per ſingula ire, quæ à Sanctiſsimi Patris beneficentia Ordini voſtro non indecet auſpicari, & ſpecialia cuique veſtrum attingere pervium erit, ſi recolueritis generatim, quot, quantiſque nominibus, hic Summus Pontifex Pater familias noſter apprimè ſit, inde namque promittitur, quòd de Theſauris ſuis, ditioris nimirum au-

thoritatis, ſapientiæ, & charitatis, & nova, & vetera proferet in noſtrum excellens emolumentum, tum ſcilicet inſtaurando, quæ grandia in nos contulerunt antiquitùs, & Sanguine, & Apice Majores ſui, cùm recèns auguſtioribus adhuc gratiis, ex magnanima benevolentia ſua promendis, vetuſtas cæteras illuſtrando. Suffecerit ſanè, ut lætabundi audere poſsimus in iſtam ſpem, ſi favore in nos electiſsimo, unum GREGORIUM *Proſapiæ ſuæ, quotieſcumque non placuerit vincere, ſaltem arrideat æmulari. Huic ſiquidem, inter magnifica plurima, debemus illud, memoria hominum aliis non conceſſum, nempe Summos Pontifices* ALEXANDROS, INNOCENTIOS, NICOLAOS, MARTINOS, SIXTOS, BONIFACIOS, *Generalibus noſtris Comitiis per ſe coactis, per ſe itidem præfuiſſe, quibus omnibus ejuſcemodi viam prævivit* Ipſe, *cunctos hos frequentiores Conventus noſtros, & convocando per ſe quòad vixit, & ſollicitudine invicta ultimùm uſque inſpirando, & abſolvendo. Hæc ergo innuere, vel eo nobis conſilio viſum eſt, ne fortè animo hæreatis, ad novitatem hanc inopinatam, atque extraneam quidem vobis, at Summis ex Gente Comitum Pontificibus, & per ipſos Apoſtolicæ Sedi quàm priſcam, & familiarem: ac proinde ſtato tempore ad Urbem, quibus jus eſt, alacres contendantis, non in id modò intuentes, quòd pro reſolutis denique tricis noſtris, Deum non in aliquo incelebri loco, hymnus*

mnus decebat liberatorem, ſed in Romana Sion, & in Latina Jeruſalem ſolemnius fuerat perſolvendus: atque id ſimul conſiderantes, quòd non habemus Pontificem, qui noſtris infirmitatibus compati nequaquam poſſit, cujus propterea Clementiæ Thronus cum fiducia eſt ab Alumnis Seraphicis adeundus; & à nobis quidem, ut miſericordiam conſequamur, pro Republica veſtra non ad omnem amuſſim adminiſtrata, à vobis autem ut in auxilio negotiis privatis, & publicis opportuno, omnigenam gratiam pro voto inveniatis.

Quoniam verò quæ ad Comitia ſpectant, Literis Apoſtolicis pleniſſimè indicta, & ſatis digeſta ſunt, ad ſalutaris obedientiæ meritum, id unum injungimus, & mandamus, ut nempe præſcriptis Supplicationibus, alias privatè & publicè connectatis, quibus Summo Pontifici, Suiſque omnibus incolumitatem, & tranquillitatem diutinam imploretis, Domuique de nobis tantoperè meritæ, fauſtiorem omnem perpetuam felicitatem: concedimus, ut in triduo Feſtum Pentecoſtes immediatè antecedenti, à reſervatis nobis Caſibus, & Cenſuris, Sacramentaliter poſitis abſolvi per Confeſſarios approbatos, & demùm Provinciarum Superioribus per has præcipimus, ut ſtatim ac eas acceperint, in Conventibus ſuis faciant publicari, deque receptione ipſarum, atque publicatione teſtimonia authentica reſpectivè aut ad nos tranſmittant, aut ad Generales Commiſſarios noſtros, ad Generale Capitulum afferenda. Quod reliquum

eſt, dilectiſsimi Fratres, exploratius habemus ingenium veſtrum ad virtutes cultiores factum, quàm ut à vobis quæ minùs inculpatè geſſerimus deprecemur: atque adeò id potiùs flagitamus veſtra pietate freti, ut quoniam judicium duriſsimum ijs, qui præſunt, fiet, pro irreprehenſa, quam in ſervitium veſtrum habere ſtuduimus, voluntate, Orationibus veſtris lenire nobis Supremum Judicem ſic vobis Idem ſe placabilem præbeat) ſatagatis. Valete, & præſentem memoriæ veſtræ amantiori gratitudinis ſtudio, noſtrum Eminentiſsimum Protectorem in preces apud Deum aſsiduas retinete. Dat. apud Reg. Conventum S. Franciſci Matriten. Die trigeſima Maji Anni MDCCXXII.

Evulgatis literis Comitia indicentibus, dubitari contigit, an poſſent Vice-Commiſſarii Generales Ciſmontanæ Familiæ Reformatorum, & Obſervantium, tempus Capitulorum Provincialium, infra annum ante celebrationem Comitiorum Generalium occurrentium, anticipare, ut poſſe contendebant ſuarum conſtitutionum vi; Verùm Sanctitas Sua eximiâ, qua præditus eſt, prudentiâ animadvertit, aliquod inferri per hujuſmodi anticipationes detrimentum Fratribus munera Provincialium actu obeuntibus, qui orbarentur jure accedendi, ac ſuffragium ferendi in Capitulo Generali, cui præſidere debebat idem Summus Pontifex, ac proinde maximè optabili,

&

& rarâ admodum ſorte per plura antea ſæcula non conceſſâ, exciderent, aliiſque præterea adſtipulantibus juſtis cauſis, Sanctitas Sua mandavit, ut Capitula Provincialia, quorum celebratio peragi deberet poſt decimam diem menſis Maji Anni 1723. anticipari non valerent, ſed protrahi per menſes; ut commodè, peracto Capitulo Generali, celebrari poſſent. Si qua verò forent ex iis Capitulis, quorum celebrandorum tempus incideret intra decimam illam diem ex Paſcha Reſurrectionis, arbitrio, ac prudentiæ Cardinalis Corſini Ordinis Protectoris, commiſit; ut ipſe, perpenſis rationibus anticipationem, vel protractionem ſuadentibus, id decerneret, quod æquius cenſeret, & Provinciarum utilitati (in quam omnia ſtudia convertenda) opportunum. Demum ut Vice-Commiſſarii Generales ſuâ uterentur auctoritate, prudentiâ tamen, & æquitate circumſcriptâ, erga ea Capitula, quæ ante Feſtum Paſchatis Reſurrectionis celebranda fuiſſent.

His ita diſpoſitis, advenerat jam dies Paſchatis Reſurrectionis dicti Anni 1723. ac propè erat indictum tempus celebrationis Capituli Generalis; quamobrem Sanctitas Sua deputandam cenſuit peculiarem Congregationem S. R. E. Cardinalium Paulutii, Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Præfecti, Corſini Ordinis apud

San-

Sanctam Sedem Protectoris, Georgii Spinula, S. Agnetis nuncupati, Secretarii Status, & de Comitibus Sanctiſsimi D. N. ſecundum carnem germani fratris, eidemque Congregationi à ſecretis addixit Vincentium Petra Archiepiſcopum Damaſcenum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretarium; ut in ea dubia diſſolverentur, quæ contingeret excitari, ſimulque omnia perpenderentur, quæ ad rectam, expeditamque Comitiorum celebrationem conducerent, ac relato ejuſdem Congregationis voto Sanctiſsimo D. N. ipſe quid eſſet agendum, decerneret.

Porrò circa idem tempus ingreſſus Romam prædictus Pater Ioſeph Garcia Miniſter Generalis Ordinis, ſtatim Summum Pontificem adivit, illiuſque pedibus provolutus, plenam præſeferens ſui, totiuſque Ordinis ſubjectionem, in exequendis Apoſtolicis mandatis, promptum animum obtulit, literaſque PHILIPPI Catholici Hiſpaniarum Regis exhibuit, quibus perſonam ipſius Miniſtri Generalis commendabat, diuturnum, arduumque iter ultrò aggredientis, & in omnia lætitiæ ſigna effuſus declarabat, quantum ſibi plauderet, quod Capitulum ab Hiſpaniis Romam tranſlatum, ſub præſidentia Sanctitatis Suæ foret celebrandum. Miniſtrum Generalem Summus Pontifex, ingenitâ animi ſui Clementiâ, benignè excepit,

pit, ac paternis verbis ſuam in totum ejus Ordinem dilectionem iterum confirmans, ſe licèt graviſsimis curis præpeditum, onus tamen præſidendi Comitiis promptè, & alacriter ſubiturum.

Supplices poſtmodum porrexit preces Summo Pontifici Generalis Miniſter, ac expoſitâ ſuarum Conſtitutionum diſpoſitione, juxtà quam à Generali miniſterio, aliiſque muneribus repellebantur, qui munia Commiſſarii Generalis, Procuratoris Ordinis, Commiſſarii Generalis de Curia, & Secretarii Generalis Ordinis geſſerunt, niſi certo tempore ab hujuſmodi miniſteriis vacaviſſent; hac inquam expoſitâ conſtitutionum diſpoſitione, poſtulabat, quo facilior ad digniorum electionem aperiretur via, rigorem earum Apoſtolicâ indulgentiâ relaxari, facta Capitulo poteſtate eligendi ad ſupremum regimen Ordinis, aliaque recenſita officia eos, qui quòd eorum aliquo nuperrimè functi fuerant, à jure paſsivæ electionis exciderant, præſertim cùm exempla ſimilium diſpenſationum non deeſſent. Quibus precibus Sanctitas Sua, audito voto ejus, quam ſupra diximus, Congregationis, benignè annuit, ac petitam diſpenſationem indulſit, expeditis literis Apoſtolicis in forma Brevis, pro iis ex fratribus, quibus illâ opus eſſet.

Poſt hæc cùm ſexta dies Maji Chriſto in Cœ-

lum aſcendenti ſacra appropinquaret, in qua Comitiorum initium fieri oportebat, Generalis Miniſter, iterum adito Summo Pontifice, rogavit, ut eadem inchoandi poteſtatem faceret, ſimulque permitteret ea peragi, quæ per Miniſtrum Generalem, cæteroſque Capitulares fieri, conſtitutiones, & conſuetudo jubebant, quod Sanctiſsimus D. N. benignè permiſit, eumdemque Miniſtrum Generalem hortatus fuit, ut ad eximiam electionem peragendam vires omnes intenderet, quâ Ordinis moderamini Vir ſpectatæ virtutis præficeretur ad majorem Dei cultum, totiuſque Ordinis emolumentum; ac demùm præ cæteris notum fieri voluit Fratribus vocalibus, optare ſe, immò præcipere integram illis in ferendis ſuffragiis libertatem cuſtodiri.

Cùm autem Summus Pontifex, eximio quo flagrabat Zelo, ea Ordinis comitia, ſuâ Præſidentiâ celebranda, indixiſſet, ut nonnulla ex omiſſa Comitiorum celebratione forſan labefacta in quibuſdam Provinciis, Regularis diſciplinæ capita reſtitueret, ut innuit in literis Apoſtolicis ſuperiùs tranſcriptis, & in allocutione ad Fratres capitulares habita, quæ mox referetur; mandavit propterea Archiepiſcopo Damaſceno Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretario, ut confecto, eorum capitum, quæ dictæ Congregationi,

&

& Sanctitati Suæ innotuerant, ſyllabo, illum Miniſtro Generali tranſmitteret, ut eo in capitularibus ſeſsionibus lecto, provida adhiberentur remedia, & opportuna conderentur ſtatuta, quibus integra undequaque, & illibata ſervari, necnon labefactata reſtaurari valeret diſciplina. Paruit Archiepiſcopus Damaſcenus, directis, ac tranſmiſſis literis Miniſtro Generali, qui tunc regimine potiebatur, eidem communicato Pontificio oraculo, quod præterea ſucceſſori Generali Miniſtro aperire non omitteret.

Dicto interim die Feſto Aſcenſionis Domini ſacro, Sanctitas Sua Patribus vocalibus, ut Urbem, cœnobiumque Aracœlitanum adirent, permiſit, ſublatâ inhibitione, in literis indictionis Capituli contentâ, qua aditus uſque ad Sabbatum poſt Feſtum Aſcenſionis præcludebatur, idque permiſſum fuit, ne in agris degentes (cùm finitima cœnobia alios comprehendere non valerent) diuturno itinere defatigati Fratres, gravioribus incommodis premerentur: nam & pridem eorundem nonnulli, vel egrâ valetudine, vel ut Miniſtro Generali operam penderent, Sanctiſsimi indulto fuerant admiſsi.

Duobus ante Pentecoſtes pervigilium diebus, feriâ nempe quintâ, & ſextâ, Summus Pontifex juſsit Proſpero Mareſuſco Archiepiſcopo Ceſareæ

ſuo

ſuo Auditori domeſtico, ut ad cœnobium Aracœlitanum concederet, ac ſecretum ſcrutinium conſuetum perageret ſuffragiorum, juxtà cohærentem Juri Canonico ſtylum, tractatum in electionibus requirenti; utque teſtaretur, velle Summum Pontificem omnimodam, plenamque libertatem Patribus vocalibus inviolatè ſervari, quemadmodum Ipſe multotiès Miniſtro Generali teſtatus fuerat.

Publicatæ interim fuerunt literæ Apoſtolicæ in forma Brevis, quibus Summus Pontifex ad augendam fidelium devotionem erga Seraphicam Religionem, & pro impetranda divina beneficentia, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſsis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam S. Mariæ de Ara-Cœli, vel aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis hujuſmodi die feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu-Chriſti, uſque ad diem feſtum Sanctiſsimæ Trinitatis incluſivè, devotè viſitaverint, ac ad Deum preces effuderint, plenariam Indulgentiam conceſsit.

Pridie verò ejus diei, qua celebranda erant ſub præſidentia Summi Pontificis Comitia, Sanctitas Sua, communicato oraculo prædicto Archiepiſcopo Damaſceno Sacrę Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretario, ſcrutinii Diſ-

qui-

quiſitore, una cum Fratribus Ordinis, à vocalibus ad diſquiſitionem faciendam ſeligendis juxtà ſtatuta Religionis, conſtituit, ac uti diſquiſitores intereſſe in ſcrutinio mandavit S. R. E. Cardinales Paulutium Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Præfectum, Corſinum Ordinis apud Sanctam Sedem Protectorem, Georgium Spinolam, nuncupatum Sanctæ Agnetis, Secretarium Status, & de Comitibus ejuſdem Sanctiſsimi, ſecundum carnem Germanum Fratrem, ſimulque juſsit, ut à capitularis aulæ aditu omnes repellerentur; admiſsis tantùm (præter Vocales, laudatoſque quatuor Cardinales) ex ordine Præſulum, D. Stephano de Comitibus Sanctiſsimi ex Fratre Germano, ſecundum carnem Nepote, Nicolao Judice Palatii Apoſtolici, Sinibaldo ab Auria Cubiculi Apoſtolici Prefectis, Proſpero Mareſuſco ejuſdem Sanctiſsimi Auditore domeſtico, Bartholomæo Ruſpulo eidem à libellis, duobus ſecretis Cubiculariis, totidem Capellanis intimis, Caudatario nimirum, ac Crucifero, duobus pariter ex Cameræ Adiutoribus, necnon omnibus quinque Cæremoniarum Magiſtris, cum antedicto Vincentio Petra Secretario Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. Hic numerus ſufficere viſus fuit ad Pontificiæ Majeſtatis, in ea ſecreta ſolemnitate, decus ſervandum; quin

etiam reliqui omnes dimiſsi ſunt præter Petram, & Mareſuſcum, ubi ventum eſt ad ſcrutinii ſecreti inſtitutionem, ne regularia geſta panderentur.

Enituit autem hiſce diebus Joannis Baptiſtæ Gambarutii Sanctitatis Suæ antiquioris Cæremoniarum Magiſtri, ac Nobilis viri Hieronymi Columna Palatii Apoſtolici Forerii majoris diligentia, in iis omnibus parandis, quæ ad eam peragendam celebritatem putabantur neceſſaria. Templum ipſum Aracœlitanum locus viſus eſt peridoneus, in quo tam ſolemnis actio celebraretur, tùm quod Pontificiam decebat dignitatem, tum quod commodè intra ejus ambitum cum Miniſtris Pontificiis trecenti circiter Electores comprehendi poterant.

Hoc itaque Templum, licèt mole ſua ſatis amplum, undique tectum à ſummo ad imum aulæis affabrè contextis, ac eleganter mutuò diſcretis. Magnus Fornix imminens gradibus, per quos aſcenditur ad majorem Aram, velabatur holoſerico Damaſceno rubro, tæniis, ſive faſciolis aureis interdiſtincto: ſub ejus medio ſurgebat Thronus Pontificius, reſpondebat exadverſo major Templi Janua, cujus obductis foribus, in interiori facie appendebatur præſtantiſsimi artificii tabula S. Spiritus deſcenſum repræſentans, ut in eam conjectis oculis, omnes excitarentur ad ipſum

Divi-

Divinum Spiritum invocandum; dum Eccleſiæ tunc Aula Capitularis reddita fuit, ab eaque proinde tranſlatum fuerat SS. Sacramentum.

Præterea contra Solium Pontificium, ſeptem, vel octo paſsibus diſtans in Templi planitie locata erat menſa ſcriptoria, ſcrutinii uſibus apta, ita diſpoſita; ut eâ ad ſcribendum commodè uti poſſent, nedùm Cardinales ad diſquiſitionem conſtituti, in ſcabellis juxtà morem coram Summo Pontifice aſſeſſuri, verùm etiam Fratres diſquiſitores, quibus nonniſi ſtantibus adeſſe licebat.

Menſa hæc è latere dextero, cui hærebant Cardinales tecta erat holoſerico Damaſceno rubro, per diſcreta ſpatia faſciolis aureis ornato, appoſitis ſcriniolis quatuor pro numero Cardinalium, ad chartas ſervandas opportunis, foliis pro ſcrutinio, ac atramentariis, thecisque arenariis argenteis.

In ſiniſtro autem, cui adſtabant Patres Diſquiſitores, tegebatur ea menſa ſcriptoria panno viridis coloris, ibique pro ſingulis chartæ ſuperimpoſitæ ſine ſcriniolis, & vaſcula tùm atramentaria, tùm arenaria ex vitro.

In fronte hujus menſæ juxta angulum, qui dexter erat Januam verſus, jacebat ſupra pulvinar, holoſerico obvolutum, Codex Miſſalis apertus in medio, ubi Chriſti Crucifixi impreſſa imago, in

quam

quam intuerentur Electores, cùm interpoſito jurejurando accederent ad ferenda ſuffragia. Ad alterum autem angulum ejuſdem lateris expoſita fuerat lignea quædam arcula, apertâ deſuper rimâ, per quam coniiciendæ erant ſchedulæ ſuffragiorum, ac demum in parte extrema, quæ Solium Pontificis reſpiciebat, paratum fuerat argenteum Pollubrum, in quod, finitâ ſuffragiorum præſtatione, effuſis ſuffragantium ſchedulis, numeri ratio conſtaret.

Per Templi longitudinem ex utroque latere, itemque ex utraque parte majoris Januæ per latus diſpoſitæ erant æquo intervallo diſsitę, ad commodum ingreſſum, & egreſſum Fratrum, aliæ menſæ ſcriptoriæ, longitudine, latitudine, & altitudine æquales, quæ velatæ aulæis, verſicolori textura diſtinctis, jucundam, nobilemque ſpeciem præſeferebant; in his autem parata fuerant pro numero Fratrum Vocalium, quæ opus erant ſcribendis, obſignandiſque ſchedulis ſuffragiorum, chartæ nimirum, & vitrea vaſcula tùm atramentaria, tùm arenaria, cum calamis, & hoſtiæ rubræ.

Hiſce ita compoſitis, die Sabbati, Pentecoſtes pervigiliô, quod contigit die decimaquinta Maji, horâ nonâ, omnes Patres Vocales Templum, ſeu Aulam Capitularem adiverunt, atque Sacro ad S. Spiritus honorem peracto, ad ſua ſinguli loca,

juxtà

juxtà ordinem conceſſere, ducto per Templum giro; itaut medium occuparent locum inter dictas tabulas, & Templi parietes, eoque diſpoſiti ordine, electionem quatuor Diſquiſitorum (ut Ordinis Conſtitutiones jubebant) inſtituerunt, qui deberent ſcrutinio, ac ſchedularum aperitioni præfici, binis ex Ciſmontana, cæteris ex Tranſmontana Familia, ſelectis.

Horâ deinde decimatertiâ, Summus Pontifex audito Sacro, è Palatio Quirinali diſceſsit, ſellâ geſtatoriâ vectus, Prælatis, aliiſque ex Pontificia familia, & Sacri Palatii Officialibus, ac longâ Nobilium Laicorum equitantium manu, Helveticorum cuſtodiâ ſtipatus, ſubſequentibus levis armaturæ, ac cataphractis Militibus; ſolito itinere Capitolii clivum conſcendens, obſeratis jam Templi Januis, ad ſcalas Aracœlitani cœnobii Sanctitas Sua pervenit; ubi obviam habuit in genua provolutos Miniſtrum Generalem, Patreſque Diſcretos tantùm; nàm cæteris Vocalibus prohibitum fuerat, ne ex loco Capituli egrederentur, ultròque per interiorem cœnobii januam progreſſus, ut ad Sacrarii fores pervenit, obvios habuit quatuor antedictos Cardinales, qui jam ad cœnobium, præviâ intimatione antecedenti die peracta, horâ ſtatutâ convenerant, atque porrectâ per Cardinalem Paulutium antiquiorem Summo Pontifici

aquâ luſtrali, eis more conſueto Ille benedixit; mox Sacrarium ingreſſus, & in ejuſdem Sacellum penetrans, ad Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod inibi è Templo tranſlatum aſſervabatur, preces effudit.

Poſt cultum Deo perſolutum, aſſumptâ faldâ in Sacrario, eâdem ſellâ geſtatoria, ad Templum perexit, ſellamque ad Solii gradus relinquens, benedictionem laudatis quatuor Cardinalibus, qui in ſua ſedilia ſuperius deſcripta, pervenerant, impertitus eſt; ſic & mox Patribus vocalibus, qui coram Ipſo in genua procubuerant.

Solium poſtea conſcendens, mozzettâ, & ſtolâ indutus, caput camalaucio tectus, excluſis omnibus à Templo (in quod plures Prælati, aliique convolarant) adhibitiſque ad januarum cuſtodiam Helvetiis Militibus, Patribus vocalibus ſua benedictione ſurgendi veniam fecit. Tunc ad Solium Pontificium accerſitus Vincentius Petra Archiepiſcopus Damaſcenus Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium Secretarius, ut decretum nuper conditum, de Vocalium prohibita ſubrogatione, perlegeret. Mos enim aliquando fuerat, ut Fratribus vocalibus abſentibus, præſertim ſi ex longinquis regionibus, diuturno itinere perterriti, ad comitia convenire noluiſſent, vel non potuiſſent, alii ex cæteris Provinciis ſubſtituerentur. Ob-

ſtabant

ſtabint profectò hujuſmodi ſubſtitutionibus Ordinis Conſtitutiones; cùm experimento compertum eſſet, eas vix unquam ab omni factionum ſuſpicione liberari, & ut plurimum ad abſentium vices ſupplendas, alios adhiberi nullâ meritorum laude ſuffultos, non contemnendâ Comitiorum libertati illatâ clade, in maximum Ordinis, bonique regiminis detrimentum. Acceſſerat quoque Conſtitutionibus robur, à Sedis Apoſtolicæ decretis promanans, quibus hujuſmodi ſubrogationes prohibebantur; licèt aliquando (ita forſan ſuadentibus temporum, rerumque circunſtantiis) eadem Apoſtolica Sedes, ad Miniſtri Generalis preces, Cardinalis Protectoris, vel Capituli Generalis arbitrio commiſerit, ut abſentium Vocalium numerum implerent uſu ſubrogationum.

Hiſce permotus exemplis, nuperus Miniſter Generalis ſupplici libello à Summo Pontifice poſtulaverat, ut hanc ſubrogandi poteſtatem faceret; præſertim cùm ità ſuaderet extraordinaria comitiorum indictio, cujus forſan ignari vocales, Indias, aliaſque remotiores regiones incolentes, vel tempore proficiſci, vel maris tempeſtatibus jactati, ad Urbem præſtitutâ die pervenire non potuerint; conſonas propterea æquitati eſſe ſubrogationes, exponebatur, ne tam remotæ Provinciæ à jure ſuffragiorum exciderent. Verùm Summus

Pon-

Pontifex, qui ſpeciali zelo pro Seraphicæ Religionis utilitate excitatus, ea comitia coram Se celebranda mandaverat, & ſi Miniſtri Generalis merita animum ſuum, ad eundem gratiis, ac benevolentiâ complectendum, impellerent, non tamen cenſuit illius precibus annuendum; ſic enim putavit Religionis bonum, Comitiorumque libertatem illibatè ſervandam; quinimo nedum inſtantiam rejicere cenſuit, ſed deſumptâ occaſione, extendi juſsit decretum, in capitulo promulgandum, quo confirmatis Ordinis Conſtitutionibus, aliiſque Apoſtolicis decretis, in perpetuum hujuſmodi ſubrogationes eliminavit. Hoc ergo decretum, ipſo jubente Sanctiſsimo, tunc Archiepiſcopus Damaſcenus in Capitulo recitavit, ut ſequitur.

Ordinis Minorum S. Franciſci.

HUmilibus exhibitis precibus Sanctiſsimo Domino Noſtro Papæ INNOCENTIO XII. *in præſenti Generali Capitulo Ordinis Minorum Sancti Franciſci Præſidenti, Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis F. Joſeph Garcia enixè ſupplicavit, ut Sanctitas Sua benignè ſibi impertiri dignaretur facultatem ſubrogandi alios idoneos fratres, in ſuffragio præſtando pro electione Miniſtri Generalis ſucceſſoris, in eodem capitulo facienda, loco, ſive vice abſentium Vocalium, qui*

ex

ex longinquis regionibus ultra mare tempore congruo accedere, ſive intereſſe non valuerunt, pluribus deductis cauſis, rationibuſque, & præſertim quia aliàs Summi Romani Pontifices, inſtantibus Miniſtris Generalibus, ſimilibus precibus, aliquando annuere dignati fuerunt; eoque facilius, cùm convocationis hujuſmodi Capituli generalis, à Sanctiſsimo factæ, notitiam in remotas illas regiones perveniſſe, tempore congruo, non conſtet.

Attamen Sanctiſsimus Dominus Noſter, re maturè perpenſâ, ejuſmodi ſupplicationibus dicti Miniſtri Generalis, erga Sedem Apoſtolicam, ſuamque Religionem optimè meriti, minimè annuere cenſuit; atque confidit, eo, quo Miniſter ipſe Generalis flagrat zelo, fore, ut libentèr patiatur, quò Sanctitas Sua precibus ejuſmodi non annuat; ſedulò perpendens à ſubrogationibus hujuſmodi abſtinere, expediens omnino eſſe, ne intrinſecus, & extrinſecus libertati in Capitulis Generalibus inſultandi, & detrahendi, occaſio, & exemplum, vel etiam immeritò, deſumatur; ſicque undequaque integra, illibata, & intacta Vocalibus convenientibus ad capitulum remaneat eligendi facultas, in quibus juxtà Juris, & Inſtituti regulas conſolidari jus eligendi debet, convenit & expedit. Ex quibus, aliiſque rationibus ſubrogationes hujuſmodi fieri, nedum ipſa ſtatuta Ordinis probibuerunt, ſed & Conſtitutiones Apoſtolicæ diſtrictè interdixerunt: Quemadmodùm in Conſtitutione In-

nocentii XII. Prædeceſſoris incipien Chriſtifidelium §. Perpendentes, *editâ Romæ* 16. *Februarii* 1694., *in qua expreſſè abſentium Vocalium vota, Protectoris, & cujuſcumque alterius, etiam ipſarum Cardinalium Congregationum auctoritate ſuppleri, ſeu alios Vocales eorumdem abſentium loco ſubrogari, prohibetur.*

Quapropter Sanctitas Sua, pro ſuo in hunc particularem gregem, benedicente Domino, ſub ejus oculis, & præſidentiâ congregatum, paſtorali zelo, & Apoſtolicæ dilectionis affectu, ut ſacroſancta libertas in electione omninò integra, prout Juris eſt, vocalibus in Capitulo congregatis conſervetur, utque exemplo cæteris in poſterum congregandis ſalubris hæc proviſio fiat, eas omnes prohibitiones circa ſubrogationes derogare noluit, ſed confirmando, & approbando omninò obſervari mandavit, & præcepit, atque iterum, quatenùs opus ſit, ſubrogationes, & ſuppletiones votorum loco, & vice Vocalium abſentium prohibuit, & interdixit; itaut ſubrogationes, & diſpenſationes, forſan impetrandæ à Romanis Pontificibus, in futurum ſubreptitiæ, & obreptitiæ cenſeantur, niſi factâ de hujuſmodi decreto mentione, & ſpeciali ejus derogatione. Præterea Sanctitas Sua ad majorem cautelam, omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui fortè interveniant, propter Vocalium hujuſmodi abſentiam, ob non fortaſſe deductam ad aliquas remotas Provincias, intimationis hujus Capituli notitiam, ex plenitu-

dine

dine Apoſtolicæ Poteſtatis, motu proprio, ac certâ ſcientiâ, hoc præſenti decreto, ſupplevit, & ſupplet. Quod quidem decretum proviſionis, ſeu prohibitionis idem Sanctiſsimus expediri per Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, ac in ejus regeſtis tranſcribi, publicarique in præſenti Capitulo Generali congregato, & inter ejus acta regiſtrari ad perpetuam memoriam, mandavit, & indixit. Datum die 15. Maji 1723. -- F. Cardinalis Paulutius -- Vincentius Archiepiſcopus Damaſcenus Secretarius Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

Perlecto hujuſmodi decreto, ad Summi Pontificis pedes acceſsit P. Secretarius Generalis Ordinis, eique exhibuit in diſco omnium Vocalium ſyllabum, ſeu catalogum, cujus exemplar ipſe manu gerens, ad ſupremum ſolii gradum genibus innixus, ſingulos Vocales alta voce compellebat, de ſolo quemque nomine cum titulo Fratris, ſeu cum deſignatione muneris, quo fungebatur, prætermiſſa qualibet Paternitatis nuncupatione pro reverentia Pontificiæ Majeſtatis; eorum verò ut quiſque ſuum nomen audierat, vel officii, demiſſus in genua, *Adſum*, reſpondebat.

Poſtquam omnes appellati ſunt (quorum numerus erat ducentorum nonaginta ſex, eorunque nomina in calce deſcribentur) accedens ad ſolium

Pon-

Pontificium Miniſter Generalis medius inter Vice Commiſſarium Generalem Obſervantium, & Vice-Commiſſarium Generalem Reformatorum, qui totius Ordinis regimini præfuerant, modeſta oratione idiomate vernaculo, culpas in regimine admiſſas confeſſus eſt: ac abdicato munere, Ordinis ſigilla, nobili quodam, licèt ſimplici Diſco impoſita, Summo Pontifici tradidit, qui eos, benedictione impertitâ, dimiſit, ſuumque quiſque repetiit locum.

Ipſe verò Pontifex, ut oſtenderet Capitularibus gravitatem negotii, quod præ manibus verſavatur, eoſdemque moneret; ut in eligendo Miniſtro Generali, ac capitularia negotia expediendo, id tantùm ſpectarent, quod Ordinis commune bonum poſcebat, Vocales in genua procumbentes, de Solio ita alloquutus eſt.

Dilecti Filii: Ubi primùm ſupremam Apoſtolatus Cathedram, licèt immerentes, conſcendimus, inter multiplices Paſtoralis officii ſollicitudines, ad veſtrum Seraphicum Ordinem ſtudia noſtra convertenda eſſe, duximus, ad quem nimirum beneficiis proſequendum tantò ardentius provocamur, quantò libentius mente repetimus egregiam laudem intemeratis Fratrum moribus, regularis diſciplinæ zelo, doctrinâque ſalutari in univerſali Eccleſia ſancto inſtituto comparatam. Hæc autem, ut in Ordine veſtro, nedum perpetuò cuſtodiatur,

ſed

ſed magis etiam augeatur, exemplo noſtrorum, & ſanguine, & dignitate majorum, hoc Capitulum ſub oculis noſtris celebrandum indiximus; fore ſperantes, ut ſicut in hujuſmodi comitiis jam quinto ab hinc ſæculo coactis, quæ in eandem hanc hodiernæ diei celebritatem inciderunt, præſidente felicis recordationis GREGORIO NONO, *& alteris coram felicis recordationis* ALEXANDRO QUARTO *habitis, conſpicuæ virtutis Albertus à Piſa, eximiuſque Eccleſiæ Doctor Bonaventura Balneoregienſis Generales Moderatores Ordinis electi fuerunt; ità in hoc Capitulo coram Nobis celebrando, qui meritis quanquam impares, illorum ſumus, & ſanguine, & ſede ſucceſſores, pari virtute præditum virum, Ordo veſter, & Eccleſia electum eſſe, gratuletur.*

Verumtamen, dilecti Filii, animi dolerem diſsimulare non debemus, quòd prava quædam ſemina apud nonnullos Veſtri Ordinis diabolica verſutia ſuperſeminaverit, quæ proinde Capitularibus Conſtitutionibus providè, & opportunè evellenda ſunt, ne in dies ſuccreſcentia bonam opprimant frugem. Veſtigiis igitur inſiſtentes majorum veſtrorum, qui ſtudio regularis diſciplinæ flagrantes, hujuſmodi malis occurrere in anteactis Capitulis ſtuduerunt, Vos etiam ad eandem operam omnes vires intendite; quò Apoſtolica remedia, quibus aliàs uſi ſunt Prædeceſſores noſtri, pleriſque decretalibus editis, contra gliſcentes tunc in veſtro Ordine abuſus,

 ante-

antevertere curetis. Præcipuè autem enitendum Vobis eſt, ut illud ſeraphici Inſtitutoris præceptum religiosè cuſtodiatur: Fratres nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini, & advenæ in paupertate, & humilitate Deo famulantes, vadant per eleemoſynam confidenter. Hæc eſt enim apud Deum munda, & immaculata Religio, quæ verba ſunt Predeceſſoris noſtri NICOLAI TERTII, *quæ deſcendens à Patre luminum per ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apoſtolis tradita, ac deinde per Spiritum Sanctum Beato Franciſco, & eum ſequentibus inſpirata. Hanc itaque normam, Dilecti Filii, ſedulò retinete, atque ut illibata ſervetur omni providentiâ, ſtudioque ſatagite. Id ſane à Vobis poſtulat Romana Eccleſia, cujus fidi Operarii eſtis, id veſter Pater Franciſcus expectat, & Chriſtus Dominus per Nos, qui ejus vices, quanquam indigni in terris gerimus, jubet, ac mandat. Deumque rogantes, ut in illuminatione vultus ſui dirigat actus veſtros, eos nobis Comitiorum fructus pollicemur, qui ad ſeraphicæ veſtræ familiæ utilitatem, & ornamentum conferunt, ac tam virtuti veſtræ, quàm publicæ bonorum expectationi, & Paternæ ſollicitudini noſtræ reſpondeant.*

Poſtquam Pontifex finem dicendi fecit, primus ex duobus Fratribus jam electis præcentoribus, ad imum Solii gradum genibus hærens, ſim-

plici Gregoriana modulatione ſolemnem confeſſionis formulam proſequutus eſt, eoque ad ſuum locum reverſo, Summus Pontifex, prævia recitatione precum, librum, & candelam manu gerentibus, dictis ab Auria Patrenſi, & Petrâ Damaſceno Archiepiſcopis, Solio Pontificio Aſsiſtentibus, abſolutionem ab omnibus cenſuris, ac diſpenſationem à quibuſcunque irregularitatibus, ad eum ſolummodo effectum, ut validè, ac canonicè electio perficeretur, Fratribus impertivit. Deinde cùm in genua procubuiſſet, incumbens faldiſtorio ad ſolium delato, cunctis pariter procumbentibus, Præcentores Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, intonuerunt, & ſurgente poſt primos Hymni verſiculos Sanctiſsimo, omnibus quoque Vocalibus ſignificatum eſt, ut aſſurgerent. Hymno mox abſoluto, cùm Pontifex preces aliquas recitaſſet, ad implorandam Spiritus Sancti gratiam pro futura electione, camalaucio tectus iterum conſedit.

Ad ſolium deinde accedens Miniſter Generalis, medius inter quatuor Ordinis Diſquiſitores, ut diximus, antea electos, eoſque Summo Pontifici exhibens, ita genuflexus affatus eſt. *Beatiſsime Pater; ſi Sanctitati veſtræ placuerit, hi ſunt Diſquiſitores electi ad recognoſcenda, & ad notanda ſuffragia*: Cùmque Pontifex, benedicendo, comprobaſſet

baſſet, Miniſtro Generali ad ſuum locum remeante, Diſquiſitores ante ſolium genuflexi permanſere, donec allato coram Sanctiſsimo liturgicorum volumine, manum ſuper illud imponentes, ſe jure jurando, ad ſecreti cuſtodiam obſtrinxerunt; tunc enim ad ſuperiùs deſcripta loca propè menſam ſcrutinii acceſſere, ea diſpoſitione, quòd Diſquiſitorum antiquior Cardinali de Comitibus juniori exadverſo ſtaret; ut ordo juxtà quem ſucceſsivè de manu in manum tranſmitti ſchedulas oportebat, facilius ſervaretur; hic enim incipiens à Cardinali antiquiori, in Diſquiſitorem juniorem deſinebat.

Tunc ad ſolium Pontificium denùo acceſsit Vincentius Petra Archiepiſcopus Damaſcenus, aliud Apoſtolicum recens decretum evulgaturus. Cùm enim Sanctitas Sua animadvertiſſet, Ordinis conſtitutionibus cautum eſſe, quòd ſi Miniſtri Generalis electio ad primum ſcrutinium non ſucceſſiſſet, iterum, & tertiò, ac ſæpius illud repeteretur, donec ſuffragiis ſupra medietatem in unius perſonam collatis, canonicè electio perficeretur, circumſcriptâ tamen eâ repetendi poteſtate ad ſolum Pentecoſtes pervigilium; ita ut electione eo die non abſolutâ, ad Sedem Apoſtolicam jus eligendi devolveretur; hoc inquam cùm Sanctitas Sua animadvertiſſet, licèt de Fratrum Vocalium

recto

recto animo, charitate fraterna, & filiali erga Pontificiam dignitatem reverentia non diffideret; tamen judicans, eas ſcrutiniorum repetitiones, præſente Se, non decere, atque etiam exiſtimans, ſublata earum poteſtate, animorum diſcordias, ac rixas comprimendas, & magnum pondus ad electionem placidè, & tranquillè peragendam, adjectum iri; propterea ſuo decreto, electionem ad Se devolutam ſancivit, niſi primo ſcrutinio compleretur, quod decretum alta voce perlegit Archiepiſcopus Damaſcenus ſub hac forma.

IN præſenti Generali Capitulo ſub præſidentia Sanctiſsimi D. N. Papæ INNOCENTII XIII. *cùm mox ſcrutinium ſit celebrandum pro electione Miniſtri Generalis Ordinis Sancti Franciſci, Sanctitas Sua, paterno, quo flagrat, Zelo erga prædilectam hanc Religionem, enixè omnes, & ſingulos vocales in Domino hortatur, & monet; ut proprii muneris conſcii, in eum conſpirent votis ſuis, quem ſecundum Deum idoneum pro tanto munere ferendo, ſumma maturitate cognoverint. Quod ſi Vocales, ſibi ipſis indulgentes, & partium adhærentium ſtudio diſtracti, electionem in hoc ſcrutinio juxtà conſtitutionum tenorem non perfecerint; ne diutius diſſonantium animorum diſcordiæ protrahantur, Sanctitas Sua motu proprio monet, & declarat, electione Miniſtri Generalis non factâ in hoc primo*

ſcrutinio, ipſam electionem ſibi ipſi aſſumere velle, ſicuti ex plenitudine Apoſtolicæ auctoritatis, & præſentis decreti tenore nunc pro tunc ad ſe devolutam declarat, atque decernit, itaut aliud ſecundum ſcrutinium amplius replicari, etiam præſenti die, non poſsit, nec debeat. Non obſtantibus Ordinis Conſtitutionibus, etiam ſpecialiter à Sede Apoſtolica confirmatis, aliiſque ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Quod Decretum Sanctitas Sua in actis capitularibus regiſtrari mandavit. Hac die 15. Maji 1723. In Capitulo Generali.

G. Cardinalis S. Agnetis, Sanctiſsimi Domini Noſtri Status à Secretis.

Poſt hæc, jam nihil ultra ſupererat, quod initium ſcrutinii moraretur. Itaque Secretarius Generalis Ordinis ad Solium Pontificium accedens, inque ſupremo ejuſdem gradu genibus incumbens, Vocales, quorum catalogum manu tenebat, ſecundum ordinem, & dignitatem muneris ſingillatim appellare cœpit, facto initio à Miniſtro Generali, qui ad ſui nominis proclamationem acceſsit, dexterâ ſuffragii ſchedulam elevans, & ante ſcrutinii menſam è regione inferiori, (præſtitâ Summo Pontifici, qui exadverſo ſtabat, veneratione) in genua procubuit: tum impoſitâ Evangelio-

geliorum Libro ſiniſtrâ manu, ſacramento Deum teſtatus eſt, ſe eligere quem ſecundum Deum judicabat meliorem; demum manum dexteram in arculæ, jam antea deſcriptæ, foramen admovens, ſuffragii ſchedulam, prius omnium oculis per antiquiorem Diſquiſitorem expoſitam, in illam immiſit, inde ad Solium Pontificium pergens, oſculatus Sanctiſsimi pedes, ſuo ſe loco reſtituit; deinde ſimili ritu Vocales, prout ſinguli compellabantur, miro ordine, ac ſingulari modeſtiâ, ad ferenda ſuffragia proceſſerunt.

Quæ poſtquam ab omnibus illata ſunt, primus Diſquiſitorum Fratrum ex arcula in argenteum Pollubrum, (quod ad hunc uſum in eadem menſa paratum fuiſſe, monuimus) coram Summo Pontifice, & Cardinalibus, cæteriſque Diſquiſitoribus effudit, & primò quidem inito ſchedularum numero, repertæ ſunt ducentæ nonaginta ſex, quot nempe erant ipſi Vocales, perque eundem Diſquiſitorem oſtenſa eſt omnibus arcula prorsùs vacua.

Poſtmodùm Cardinalis Paulutius antiquior, ſingulas ſchedulas, ex parte nominis electi aperiens, intactâ eâ, quæ eligentis nomen continebat, ſuffragia notabat, & perſonas electas: deinde eas ſecundo Cardinali porrigebat, ac eâdem ſervatâ praxi, uſque ad poſtremum Cardinalem ſchedulæ deve-

deveniebante, qui eas tradens antiquiori Diſquiſitorum Fratrum, in horum noviſsimo porrectio, & adnotatio complebatur, qui ſingulas in arculam iterum coniiciebat.

Poſtquam eas aperiendi, notandique finem fecêre, quos quiſque collegerat numeros ſuffragiorum Cardinales, Fratreſque Diſquiſitores mutuo contulerunt; cùmque omnes exactè cohærere comperiſſent, laudati Cardinales ad Solium Pontificium accedentes cum ſuis ſinguli notarum foliis, Sanctitati Suæ retulerunt quot quiſque candidatorum ſuffragia obtinuerat; Cùmque inde conſtitiſſet, P. Fr. Laurentium à Sancto Laurentio Ciſmontanæ Familiæ virum gravem, & doctum, editis ad publicam rei literariæ utilitatem voluminibus, geſtiſque Guardiani in cœnobio Hjeroſolymitano, & Vice-Commiſſarii Generalis Ciſmontanæ Familiæ muneribus, celebrem, ſuffragiis medietatem longè ſuperantibus, fuiſſe cumulatum, perfectam juxtà conſtitutiones Ordinis in eo electionem, Sanctiſsimus ratam habuit, ac publicari per Fratrem Secretarium Diſquiſitorii mandavit: eoque actum in ſcriptis redigente, aſportatâ ab aliis Diſquiſitoribus in aulæ angulum arculâ, parato jam igne, ſchedulæ combuſtæ fuerunt.

His peractis, Templi ſuggeſtum conſcendens Pater Secretarius Diſquiſitorii, præſtitâ Summo

Pon-

Pontifici veneratione, altâ, & gravi voce actum publicationis ſcrutinii, & electionis prædictæ Miniſtri Generalis perlegit, tranſcriptâ formulâ ex Conſtitutionibus Ordinis, cui nonnulla addita fuerunt ad Pontificis præſidentis dignitatem pertinentia, quam ſubiicio.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

JUbente Sanctiſſimo D. N. Papa INNOCENTIO XIII. *præſente, & præſidente in hoc Capitulo Generali totius Ordinis Fratrum Minorum hodie celebrato, aſſiſtentibus S. R. E. Cardinalibus Paulutio Epiſcopo Albanen. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Præfecto, Corſino ejuſdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectore, Spinola, Sanctæ Agnetis nuncupato, Secretario Status, & de Comitibus Sanctiſſimi D. N. ſecundùm carnem germano fratre ſpecialiter à Sanctitate Sua pro Diſquiſitoribus electis, promulgatur electio Miniſtri Generalis, ut infra. Hæc eſt electio Miniſtri Generalis totius Ordinis Sancti Franciſci canonicè celebrata per Fratres vocales capitulariter, & legitimè congregatos in præſenti Conventu Aracœlitano Urbis; hac die xv. menſis Maji Anno Domini M DCCXXIII. in qua quidem electione.*

Hìc recenſita fuerunt nomina candidatorum tùm Obſervantium, cùm Reformatorum, & quot vota ſinguli reportarunt, quæ omittuntur, & poſtremò juxta Conſtitutionum formam, relata fuerunt ſuffragia, longè ſupra medietatem Vocalium, quæ obtinuit Fr. Laurentius à S. Laurentio Provinciæ Romanæ Obſervantium. Poſt hæc, ita proſequutus fuit idem Pater Secretarius Diſquiſitorii.

Et Ego Frater Carolus Bourget ejuſdem Ordinis profeſſus, Provinciæ Franciæ Pariſienſis, unus ex Diſquiſitoribus, & Commiſſariis virtute compromiſſi in me, & ſocios meos limitati, nomine omnium, qui in dicta electione convenerunt, & conſenſerunt, præfatum Fr. Laurentium à S. Laurentio, in quem major pars votorum conſenſit, Miniſtrum Generalem canonicè electum nomino, & ſic electum enuncio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Sic ergo completâ publicatione electionis prædicti Patris Fr. Laurentii à S. Laurentio in Miniſtrum Generalem, Patres cantores in Templi medio acclamationes hìc inſertas præcinuerunt, reſpondentibus omnibus vocalibus gravi concentu, & gratâ modulatione.

San-

Sanctiſſimæ Trinitati laus, & gloria.

Vocales. *Laus, & gloria.*

Beatiſsimæ Virgini honor, & benedictio.

Vocales. *Honor, & benedictio.*

Sancto Franciſco Patri noſtro decus, & gratulatio.

Vocales. *Decus, & gratulatio.*

Beatiſsimo Domino Noſtro, ſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ Pontifici INNOCENTIO XIII. *qui dignatus eſt in hoc Capitulo præſidere, humiles gratiæ, multi anni, æterna memoria.*

Vocales. *Humiles gratiæ, multi anni, æterna memoria.*

Duo deinde Cæremoniarum Magiſtri novum Miniſtrum Generalem adierunt, ut eum ad Pontificium Solium deducerent, ubi pedibus Sanctiſſimi provolutus, jusjurandum ſuper Evangeliorum libro interpoſuit, juxtà formam à Venerabili Dei Servo Papa Innocentio XI. præſcriptam, de non ambienda, quærenda, aut acceptanda dignitate Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut Patriarchali, tempore ſui miniſterii durante. Mox brevi oratione ſe meritorum expertem proferens, acceptato munere, ſupplex à Sanctiſsimo petiit, ut dignaretur Ordinis regimen, propriis viribus grave, ſuo præſidio fovere, ac ſublevare. Ad hæc Pontifex ei ſigilla Ordinis tradidit, ac benedictio-

nem

nem impertitus eſt, rediitque poſtmodum ille ad ſuum locum ſupra omnes Fratres Vocales.

Poſtremò aſſurgens Sanctiſsimus, verſus, & preces, factæ electioni congruentes, recitavit, ac delatam à Crucifero ante ſolii gradus, Crucem veneratus, ſolemnem pontificalem benedictionem omnibus adſtantibus impertitus, è ſolio deſcendit, & ſuis Ipſe pedibus progreſſus eſt ad ſacrarium, comitantibus prædictis Cardinalibus, Miniſtro Generali, ac Patribus Diſcretorii, & effuſis precibus in Sacello ad Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, faldam depoſuit, ac ſellam geſtatoriam conſcendens, eo quo venerat comitatu, ad Palatium Quirinale redivit.

Subſecutis diebus proceſſerunt Patres capitulares ad electionem aliorum Officialium ad formam conſtitutionum Ordinis, & in muneribus conſtituti fuère Viri graves, ac erga Ordinem benemeriti, digni quidem, ut in capitulo hoc generali, ſub præſidentia Summi Pontificis congregato, præeligerentur, quorum nomina in calce deſcripta reperientur poſt Vocalium elenchum.

Voluit tamen Sanctitas Sua fructibus, gratiiſque ſpiritualibus vocales comitiorum, quibus ſuæ præſentiæ decus acceſſerat, cumulare; ideoque ejus expreſſo oraculo Cardinalis Oliverius Secretarius Brevium Sanctitatis Suæ, novo Miniſtro Generali

rali literas tranſmiſit, quibus teſtabatur, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum omnibus præfatis Vocalibus, eorumque conſanguineis, & affinibus uſque ad tertium gradum incluſivè, Indulgentiam in articulo mortis benignè impertitum fuiſſe; inſuperque ducentas Indulgentias pro quolibet ex iis Vocalibus applicabiles coronis precatoriis, & ſacris numiſmatibus juxtà formulam impreſſam, eorum Vocalium arbitrio diſtribuendas.

Spiritualibus his commemoratis Pontificiæ beneficentiæ gratiis, præteriri non debent temporalia ſubſidia, quibus Capituli impendiis proviſum ſatis, ſuperque fuit. Eximiæ quidem liberalitatis exemplar SS. Pater omnibus Se præbuit, qui non tantùm curavit ex Hiſpaniis ad Urbem transferri ſex millium aureorum ſummam, à Comitibus Cincenſibus legatam, ad impenſas Capituli generalis ſupplendas, quando in Hiſpaniis Comitia congregari, contingeret; ſed pro ingenita animi ſui munificētia, ex publico ærario opem conferri, mandavit. Pontificium exemplum imitati ſunt, collatis eleemoſynis, S. R. E. Cardinales, quamplurimi ex Principibus, Præſulibus, aliiſque nobilibus viris, nec non plures Regularium cœtus tam intra, quàm extra Urbem; atque precipuè Cardinalis Corſini meritâ laude fraudari non debet, qui ſicut protectionem hujus Ordinis apud San-

Q ctam

ctam Sedem ſuſtinet, ita Capitularia hujuſmodi Comitia liberaliter juvit. His adjuti pauperes Chriſti famuli, ſuam vix experti ſunt paupertatem, ut tot tantiſque congregatis in ædibus Aracœlitanis, eorum nemini quippiam defuerit.

Denique non eſt omittendum grati animi monumentum, quod pro inſigni recepto beneficio, tot ſæculorum intervallo Religioni non conceſſo, iidem Patres Vocales erga Sanctitatem Suam præbuêre, hoc edito capitulari decreto.

Cum Sanctiſsimus Dominus Noſter INNOCENTIUS *Divinâ Providentiâ Papa* XIII. *egregiam in noſtrum Ordinem voluntatem, à Majoribus ſuis, etiam ad Apoſtolicam Sedem evectis, jure quodam ſanguinis, ac inditâ ſuæ Genti pietate, in ſe derivatam, ſingulari beneficentiæ, atque amoris argumento comprobare volens, univerſæ Familiæ noſtræ comitiis Idibus Maji in Ædibus Sanctæ Mariæ de Aracœli celebratis, dignatus ſit intereſſe, ac præſidere, tantâ Optimi Principis humanitate, ac Majeſtate ſimul, ut erumpentes præ gaudio lacrymas coram Apoſtolico Throno vix revocandi nobis poteſtas fieret; ne tam illuſtris memoria ullâ temporum injuriâ, aut aſperitate Noſtrorum mentibus excidat, Capitulum Generale gratum animum, ut per Franciſcanam paupertatem licet, exhibere cupiens; proponente Reverendiſsimo Patre Miniſtro Generali,*

appro-

approbantibuſque Definitorii Patribus, ſtatuit, atque decernit, ut fauſtus ille dies, qui tantâ, ac tam inſigni Clementiſſimi Principis dignatione honeſtatus eſt, inter feſtivos, & toti Ordini ſacros perpetuis futuris temporibus habeatur, ſinguliſque annis, eodem ipſo recurrente die, in omnibus utriuſque Familiæ Conventibus pro longæva proſperitate Sanctitatis Suæ, atque inclytæ, nobiliſſimæque ſuæ Domus incolumitate, ac ſoſpitate Sacrum ſolemne peragatur, atque ab omnibus univerſi Ordinis utriuſque ſexus fratribus, & ſororibus, eadem pro re, crebræ ad Deum preces fundantur. Ne autem hæc grati animi teſtificatio una cum vita Sanctitatis Suæ, quam Deus Optimus Maximus ad Chriſtianæ Reipublicæ felicitatem, & noſtri Ordinis compendium diù, multùmque ſervare dignetur, finem aſpiciat, idem Capitulum Generale, proponente eodem Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali, probantibuſque eiſdem Definitorii Patribus, ſtatuit, ac mandat; ut cum Sanctitas Sua viam univerſæ carnis ingreſſus, mortales haſce exuvias reliquerit, pro ejus animæ requie, omnes, & ſinguli univerſi Ordinis Sacerdotes tres Miſſas celebrent, & in ſingulis Conventibus ſolemnis Miſſa cum integro Defunctorum Officio decantetur; Clerici verò, & Laici, Monialeſque omnes, ac reſpectivè ſinguli, & ſingulæ tres, ut ajunt, coronas Beatæ Mariæ Virginis, & duas ſtationes recitent; atque inſuper ut monumento nunquam interituro tanti Pon-

tificis memoria conſignetur, in omnibus univerſi Ordinis Conventibus perpetuò pro Anima ejus fiat Anniverſarium. Id autem in omnes tabulas Ordinis inſcribi, ac inferri, & per univerſum Franciſcanum Orbem promulgari, idem Capitulum Generale cavit, ſanxit, ac decretum voluit; In Comitiis Generalibus Aracœlitanis, hac die 17. menſis Maji Anno Domini 1723.

Cui quidem capitulari decreto, ut Apoſtolicæ confirmationis robur tribueretur, humillimas porrexerunt Sanctiſsimo Domino Noſtro preces Generalis Miniſter, ac Generales Definitores Ordinis, quibus illud per literas Apoſtolicas in forma Brevis muniri poſtularunt; ut unà ſimul cum perenni memoria Apoſtolicæ beneficentiæ, præſidentiâ Pontificiâ collatæ humilium quoque, ac pauperum Fratrum obſequium, & gratiarum officia per eos exhibita, ac decretà, perpetuo monumento conſerventur, à ſucceſſoribus Fratribus inviolatè cuſtodienda. Tenor Brevis eſt qui ſequitur.

INNOCENTIUS P. P. XIII. *Ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncti nobis divinitus Paſtoralis Officii debito, illa, quæ à Chriſtifidelibus Altiſsimi obſequiis ſub ſuavi regularis diſciplinæ jugo mancipatis, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre jugiter ſatagentibus, pio, unanimique conſtituta eſſe noſcuntur, conſilio, ut perpetuâ firmitate perennentur, libenter Apoſtolici munimi-*

nis

nis noſtri præſidio, cùm id à nobis petitur, roboramus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti Filii Miniſter Generalis, & Definitores etiam Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci tàm de Obſervantia, quàm Reformatorum nuncupatorum, quòd ipſi, aliique ejuſdem Ordinis Fratres in eorum Capitulo Generali noviſsimè, in Conventu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli almæ Urbis noſtræ celebrato, ſimul congregati, ac ſecum reputantes peculiarem illum paternæ charitatis affectum, quo univerſum Ordinem prædictum, in humilitate quippe, & paupertate fundatum, ac præclaris in catholicam Religionem, & hanc Sanctam Sedem meritis fulgentem, priſco Gentis noſtræ, pluriumque de ſanguine, & Familia noſtra Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, qui eumdem Ordinem, illiuſque Fratres plurimi ſemper fecerunt, more, & inſtituto complectimur, nec non recolentes recentia, atque luculenta Pontificiæ noſtræ benevolentiæ argumenta, quæ eis vel maximè perhibuimus, occaſione memorati eorum Capituli Generalis, quod non modò coram nobis convocavimus, ſed præſentiâ etiam noſtrâ decorari voluimus, ac propterea aliquod grati, & devoti in Nos animi teſtimonium exhibere, ac perpetuum monumentum extare cupientes, communibus ſuffragiis decretum ediderunt, & promulgaverunt, tenoris, qui ſequitur videlicet.

Omittitur tenor decreti ſupra relati.

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi exponentes decretum hujuſmodi à nobis approbari, & quò firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, plurimùm deſiderent. Nos ſinceram Fratrum Ordinis prædicti in Nos, & Sedem Apoſtolicam devotionem attendentes, plumurimùmque in Domino commendantes, enixis, ac iteratis ſupplicationibus, eorumdem exponentium nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica harum ſerie approbamus, & confirmamus, ratumque, & acceptum habemus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſsis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſsis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit prædicti Ordinis, aliiſve quibuſvis,

etiam

etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in communium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris; die tertia Junii 1723. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

FINIS.

ELENCHUS

Patrum Vocalium, qui interfuerunt in Capitulo Generali Romano Ordinis Minorum, Præſidente Sanctiſsimo D. Noſtro Papa INNOCENTO XIII. *Anno Domini* M. D. CC. XXIII.

Miniſter Generalis totius Ordinis.

Vice-Commiſſarius Generalis Obſervantium.

Vice-Commiſſarius Generalis Reformatorum.

Fr. Cherubinus à Nardò ex-Commiſſarius Generalis Reformatorum.

Fr. Deodatus de Roma ex-Vice-Commiſſarius Generalis Reformatorum.

Fr. Laurentius à S. Laurentio ex-Vice-Commiſſarius Generalis Obſervantium.

Fr. Joannes Coſmus à Monte Miniano ex-Vice-Commiſſarius Generalis Reformatorum.

Fr. Antonius à Neapoli ex-Commiſſarius Generalis Obſervantium.

Commiſſarius Generalis Indiarum.

Commiſſarius Generalis Curiæ.

Procurator Generalis Reformatorum.

Procurator Generalis Recollectorum.

Fr. Martinus de Albiturria Definitor Generalis.

Fr. Franciſcus Diaz Definitor Generalis.
Fr. Joannes Duran Definitor Generalis.
Fr. Ferdinandus à Solitudine Definitor Generalis.
Fr. Julianus Queſdron Definitor Generalis.
Fr. Jacobus Quillot Definitor Generalis.
Fr. Marinus Panger Definitor Generalis.
Fr. Carolus Bourget Definitor Generalis.
Fr. Philibertus Maes Definitor Generalis.
Fr. Bernardus à Sancto Joanne Definitor Gener.
Fr. Michaël Angelus de Florentia Definitor Gen.
Fr. Joannes Antonius à Sancta Cruce Definitor Generalis.
Fr. Angelus Maria de Novato Definitor Genera.
Fr. Joannes Baptiſta à Petra Vairana Definitor Generalis.
F.r Hieronymus à Laurino Definitor Generalis.
Fr. Clarus à Bergomo Definitor Generalis.
Fr. Joſeph à Venetiis Definitor Generalis.
Fr. Aloyſius Hermon Definitor Generalis.
Fr. Dominicus de Maropati Definitor Generalis.
Fr. Hilarius Maria de Raguſio Definitor Gener.
Miniſter Provinciæ Romanæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Secretarius Generalis pro Familia Ciſmontana.
Secretarius Generalis pro Familia Ultramontana.
Miniſter Provinciæ Franciæ.
Miniſter Provinciæ Franciæ Pariſienſis.

Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Caſtellæ.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Saxoniæ Sanctæ Crucis.
Miniſter Provinciæ Turoniæ Pictavienſis.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Aragoniæ.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ Argentinæ.
Miniſter Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Jacobi.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Coloniæ.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ S. Bonaventuræ.
Cuſtos Provinciæ Portugalliæ.
Miniſter Provinciæ Hyberniæ.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis in Hiſpania.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Brittaniæ Recollectorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Angliæ.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Bæthicæ.

Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Burgenſis.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Angelorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Pietatis Diſcalceatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Gabrielis Diſcalceatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Carthaginis.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Flandriæ.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Eliſabeth in Thuringia.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ Germaniæ Inferioris.
Miniſter Provinciæ Algarbiorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Evangelii de Mexico.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Majoricarum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Aquitaniæ Recentioris.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Michaëlis in Extremadura.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Cantabriæ.

Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ duodecim Apoſtol. de Lima.
Coſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Canariarum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Andreæ in Belgio.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sardiniæ.
Miniſter Provinciæ Valentiæ.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Cathalauniæ.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Arrabidorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. S. Joſeph Diſcalceator. in Caſtella.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Joſeph in Jucatan.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli de Mechoacan.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Nominis Jeſu de Guathemala.
Miniſter Provinciæ SS. Trinitatis de Chil.
Miniſter Provinciæ Sancti Antonii Diſcalceatorum in Luſitania.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. S. Joan. Bapt. Diſcalcat. in Hiſpan.

Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Granatæ.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ Sancti Antonii Cha[illegible]arum.
Cuſtos Provinciæ Sancti Gregorii Diſc[illegible]ceatorum in Philippinis.
Miniſter Provin. S. Pauli Diſcalceatorum in Hiſp.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Franciſci de Zacathecas.
Miniſter Prov. S. Didaci Diſcalceat. in Mexico.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Jacobi de Xaliſco.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ S. Dionyſii Recollectorum in Gallia.
Miniſter Provinciæ S. Helenæ in Florida.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Aſſumptionis in Paraguay.
Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Recollectorum in Gallia.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Mariæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sancti Didaci Diſcalceatorum in Bæthica.
Cuſtos ejuſdem.

Miniſter Provinciæ Sancti Franciſci Recollectorum in Gallia.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sancti Joſeph in Flandria.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sanctiſsimi Sacramenti Recollectorum in Gallia.
Cuſtos ejuſdem.
Min. Prov. S. Joannis Evangeliſtæ Azoriarum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sancti Saturnini in Sardinia.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sancti Antonii Diſcalceatorum in Braſilia.
Miniſter Provinciæ Sancti Petri de Alcantara Diſcalceatorum in Hiſpania.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Antonii in Arteſia.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Solitudinis Diſcalceatorum in Luſitania.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Diſcalceatorom in Braſilia.
Miniſter Provinciæ Tertii Ordinis Luſitaniæ.
Coſtos ejuſdem.
Min. Prov. Tertii Ordinis S. Michaëlis in Bęthica.

Cuſtos ejuſdem.
Min. Prov. Tertii Ordinis S. Franciſci in Gallia.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Prov. Tertii Ordinis Legionis in Hiſpania.
Min. Prov. Conceptionis de la Veyra in Luſitania.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Cuſtodiæ de la Madera.
Cuſtos Cuſtodiæ Azoriarum.
Miniſter Provin. Sancti Franciſci Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Marchiæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ Tuſciæ Obſervantium.
Miniſter Provinciæ Bononiæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciȩ Sancti Antonii Obſervãtium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Genuæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Mediolani Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Principatus Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. Septem Martyrum Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Siciliæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.

Mini-

Miniſter Provinciæ S. Nicolai Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. Sancti Bernardini Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Angeli Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Dalmatiæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Candiæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Carniolæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ Auſtriæ Reformatorum.
Miniſter Provinciæ Boëmiæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. Poloniæ Minoris Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Corſicæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Provinciæ Raguſii Obſervantium.
Cuſtos Provinciæ Brixiæ Obſervantium.
Miniſter Provinciæ Baſilicatæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Ungariæ Sancti Salvatoris Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. Boſniæ Argentinę Obſervantium.
Cuſtos

Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. S. Mariæ Hũgariæ Reformatorum
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Terræ Laboris Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Tyrolenſis Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Calabriæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Albaniæ Obſervantium.
Miniſter Provinciæ S. Didaci Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Thomæ Apoſtoli Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. Vallis Mazariæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Vallis Nothi Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Bavariæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Poloniæ Majoris Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Ruſsiæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Franciſci Reformatorum.

Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Romanæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Marchiæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Tuſciæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Bononiæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Antonii Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Genuæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Mediolani Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Principatus Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Septem Martyrum Reformat.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Siciliæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Nicolai Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Bernardini Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Angeli Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.

Miniſter Provinciæ Poloniæ Minoris Reformat.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Corſicæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Brixiæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Baſilicatæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Prov. Terræ Laboris Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Calabriæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Didaci Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Thomæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Vallis Mazariæ Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Vallis Nethi Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Poloniæ Majoris Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Vigilii Reformatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ S. Ladiſlai Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Bulgariæ Obſervantium.
Cuſtos ejuſdem.
Miniſter Provinciæ Sancti Petri de Alcantarâ in Regno Neapolis Diſcalceatorum.
Cuſtos ejuſdem.
Cuſtos Terræ Sanctæ Obſervantium.
Cuſtos Tranſilvaniæ Reformatorum.

No-

Nomina Officialium electorum in hoc Capitulo Generali Romano.

Officiales Curiæ Romanæ.

FR. Mat haeus à Pareta Procurator Generalis. Ordins Provinciæ Terræ Laboris Obſervantium.

Fr. Hiacynthus Serrat Commiſſarius Generalis Curiæ-Provinciæ Cathalauniæ Obſervantium.

Fr. Benedictus à Caſtro-Arquato Procurator Generalis Reformatorum. Provinciæ Bononienſis Reformatorum.

Fr. Joannes Diaz Procurator Generalis Excalceatorum, & Recollectorum Provinciæ Bæthicæ Excalteatorum.

Definitores Generales Ciſmontani.

Fr. Bartholomæus à Vulſinis Prov. Romanæ Obſervantium.

Fr. Joannes Franciſcus à Sorexina Provinciæ Mediolani Obſervantium.

Fr. Carolus à Corleto Provinciæ Baſilicatæ Obſervantium.

Fr. Gabriel à Venetiis Prov. Venetiarum Obſervantium.

Fr. Albericus Balbianus à Liburno Provinciæ Thuſciæ Obſervantium.

Fr. Hilarius Maria de Raguſio Prov. Raguſii

BA729
F819m

-11355-2

Obſervantium.

Fr. Andreas Pordagni Prov. Hungariæ S. Mariæ Reformatorum.

Fr. Seraphinus à Sancto Fratelo Provinciæ Siciliæ Reformatorum.

Fr. Michaël Angelus à Gallipoli Provinciæ Barii Reformatorum.

Fr. Joannes Benedictus à Sarzana Prov. Genuæ Reformatorum.

Definitores Generales Ultramontani.

Fr. Franciſcus de la Mar Provinciæ Hiberniæ Reformatorum.

Fr. Petrus Poiſſon Provinciæ Franciæ Obſervant.

Fr. Saturninus Dirop Provinciæ Britanniæ Recollectorom.

Fr. Thomas Montaldo Provinciæ Granatæ Excalceatorum.

Fr. Joannes de Salazar Provinciæ Carthaginis Obſervantium.

Fr. Antonius Duro Prov. Burgenſis Obſervant.

Fr. Carolus Bourget Prov. Franciæ Pariſienſis Obſervantium.

Fr. Michaël Moſtera Prov. Coloniæ Recollect.

Fr. Emmanuel de Remediis Prov. Algarbiorum Obſervantium.

Fr. Joſeph de S. Thereſia Prov. Tertii Ordinis Luſitaniæ.

BA 729
F 819 m